D. J. Veegens

DISPUTATIO

DE

POLYCRATE SAMIO.

TYPIS C. A. SPIN.

DISPUTATIO LITERARIA

DE

POLYCRATE SAMIO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

CORNELII PRUIJS VAN DER HOEVEN

MED. DOCT. ET PROF. ORD.,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITERARIAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

DIDERICUS JACOBUS VEEGENS

HARLEMENSIS,

AD DIEM IX SEPTEMBRIS CIƆIƆCCCXXXIX, HORA XII—I.

AMSTELODAMI,

APUD L. VAN DER VINNE.

CIƆIƆCCCXXXIX.

VIRIS AMPLISSIMIS, NOBILISSIMIS,

ATHENAEI ILLUSTRIS ET GYMNASII

AMSTELODAMENSIS

CURATORIBUS,

D. D. D.

D. J. VEEGENS.

PRAEFATIO.

Viginti circiter abhinc anni sunt, ex quo traditam mihi docendi provinciam in Gymnasio Harlemensi suscepi. Invitus quidem feci, ut Academiam, nondum decurso spatio, relinquerem; sed et rationes postulabant meae, et sperabam fore, ut brevi deinde tempore legi satisfacere possem. Id ne fieret, et domesticae curae, et vita occupata usque prohibebant, quodque visum erat initio leve, quo diutius differebam, eo plus habebat difficultatis. Salutare tamen consilium, longo intervallo intermissum, sed nunquam plane omissum, necessario revocavi. Itaque tandem aliquando in lucem prodit disputatio, levior, quam aut ipse velim, aut alii fortasse de me exspectent, sed quam aequius tamen aestimabit quicunque me vitamque meam minime otiosam noverit. Equidem antiquius nullum habui officium, quam ut publicum docendi munus ita tuerer, ut et mihi, et aliis satisfacerem. In quo si effecerim aliquid, neque omnino inutilem operam locaverim, duobus in primis Viris praestantissimis, Bakio et Peerlkampio, hoc me debere profiteor: quorum alter ita me literis erudivit, ut ardentem earum in me excitaret amorem,

alter mihi, tunc Rector Gymnasii Harlemensis, docendi eas dux et auctor exstitit. Grato profecto animo recordor, Baki, quanta me ad Te deductum humanitate exceperis, re et consiliis adjuveris, denique familiaritate Tua ita ceperis, ut devinctissimum Tibi me haberes. Neque Tuae, Peerlkampi, oblitus sum benevolentiae, qui me, collegam Tibi datum, auctoritate, sermonibus, sed maxime exemplo ad eam, qua tantopere praestabas, artem formaveris atque in nulla re unquam mihi defueris. Pro his beneficiis aliisque pluribus, quae referre Vestra me vetat modestia, non potui nullas palam agere gratias. Quas utinam illis quoque persolvere licuisset praeceptoribus carissimis, qui fato jam concesserunt, Wyttenbachio, Borgero, Ekamae! Quorum mors, quamvis luctuosa omnibus, mihi tamen eo magis accidit acerba, quod gratum illis animum significare non potui. At Vobis, quibus et possum, et debeo, grates ago, Siegenbeeki et Tydemanne, qui Academiae, ut ante, sic nunc etiam decori estis atque ornamento: Tibi, Wynperssi, cujus institutione uti mihi contigit; Tibi denique, Brinki, quem pueritiae doctorem habui fidelissimum: quorum omnium tanta de me studiisque meis fuerunt merita, ut non agnoscere ea nefas esset. Vos D. O. M. Vobis, Vestris, literis, civitati quam diutissime conservet!

DISPUTATIO

DE

POLYCRATE SAMIO.

De Polycrate (1) Samio scribere constitueram, tum quod eam partem historiae Graecorum nondum ita penitus cognitam sciebam, quin aliquam certe lucem ei afferri posse putarem, tum quod eorum mihi semper placuere conatus, qui causam tyrannorum, quos eodem fere omnes suffragio, tyrannidis odio permoti, condemnarunt veteres, ausi sunt suscipere (2). Arridebant et celebre apud veteres ac recentiores nomen, et ingenuae illi laudes ab Herodoto datae: tum vero tanta rerum prosperitas, mox repentina fortunae commutatio, ac triste exitium vehementer animum movebant. Jamque

(1) Polycrates sophista, Gorgiae aemulus, memoratur Pausan. VI. 17, 5; alter, statuarius, Plin. XXXIV. 19, 34; tertius, orator, qui orationem contra Socratem Anyto conscripsit, Suidae in v., Aelian. V. H. XI. 10, Quint. II. 18, III. 1. Vid. Menag. ad Diog. Laert. II. 38, et Themistius orat., quem laudat.

(2) In his Wielandus Arist. T. IV. p. 45 sqq., strenuus cujusvis adversus calumniam patronus, et Wachsmuth. Hellen. Alterth. Tom. I. p. 274 sqq., laudati P. van Limb. Brouwer. V. Cl. Hist. de la Civil. des Grecs Tom. I. ch. 6. p. 244, cujus severius de iis est judicium.

rem satis perspexisse mihi videbar atque in eo eram, ut congestam materiem in ordinem redigerem, quum ecce mihi in manus venit libellus de rebus Samiorum a *Theodoro Panofka* scriptus ac Berolini editus. Ego continuo cogitare mecum de mutando consilio: cocta enim, ut ajunt, recoquere nolebam, et quid mihi reliqui fecisset ille auctor ut de Polycrate scriberem? Evolventi tamen librum multa omissa, plura male intellecta aut falsa apparebant: deinde accuratius legens tantam in eo deprehendi, negligentiam dicam an impudentiam, ut consilium meum non solum non supervacuum, sed utile etiam ac prope necessarium putarem, quum eum librum a praestantibus ingenio ac doctrina viris laudari cognovissem, qui aliquam ei tribuerent auctoritatem, videlicet decepti locis veterum subscriptis, quos toties perperam aut falso allatos nescirent. Quod si saepius de erroribus ejus libri dicendum mihi erit, hoc ne quis pravae calumniandi aut cavillandi cupiditati attribuito, a qua certe alienissimum me esse scio, sed studio veritatis, quae in ejusmodi quaestionibus unice debet valere. Ceterum omnis nostra de Polycrate disputatio sex Capitibus absolvetur, quorum *primum* in aetatem ejus inquirit; *secundum* initia tyrannidis, *tertium* res gestas ejus complectitur; *quartum* agit de interitu; *quinto* de reipublicae administratione, *sexto* denique de indole ac moribus Polycratis dicitur.

CAPUT PRIMUM.

DE AETATE POLYCRATIS.

Quamquam fieri non potest, ut singulae res a Polycrate gestae per annos suos digerantur, operae tamen pretium est inquirere, quid de aetate ejus ac regni spatio probabilibus argumentis constitui possit: quam disputationem ideo praemisimus, ne vitam ejus enarrantes disceptandis rationibus chronologicis aut refutandis aliorum erroribus saepius ab argumento discedere cogeremur. Res autem ingentes habet difficultates, quae variis variorum auctorum computationibus adeo sit confusa, ut pene inextricabilis videatur error. Hic autem, ut recte monuit Volneius (1), inde ortus est, quod plerique auctoritatem obscurorum scriptorum, ut C. Julii Solini et Diogenis Laertii, quam ipsius Herodoti sequi maluerunt, aut eorum, quae de Pythagorae vita scripserunt Laertius, Jamblichus, Porphyrius, nimiam habuerunt rationem; quasi vero major his foret tribuenda fides, quam

(1) Chronol. Reg. Lyd. § 1. p. 389 sq. Paris. 1837.

patri historiae, qui vix septuaginta annis post Cyri mortem libros suos conscribere instituit (1).

Omnis autem de Polycratis aetate disputatio primum necis ejus, deinde expeditionis a Lacedaemoniis susceptae annis, tanquam fundamentis, innititur, praeter quos nihil certi statui posse censet Schultzius (2). De utroque videamus.

Cambyse morbo implicito, Oroetes struere insidias Polycrati incipit, quem rege nondum mortuo interficit (3). Cambysen autem anno a. C. 522 obiisse constat, quo eodem magi per septem menses rerum sunt potiti. Itaque vix ullum dubium est, quin superiori anno 523, s. Olymp. LXIV a. 2, occisus sit Polycrates; quae et Larcheri (4) et Schultzii est sententia, et Plinii auctoritate firmatur, qui eum *circiter CCXXX annum urbis* interfectum esse scribit (5). Nec multum differt aliorum opinio, quum Panofka (6) Olymp. LXIV annum 1, i. e. 524, Clinton in Fastis annum 3, s. 522, praeferat (7).

(1) Natus erat Herodotus quarto anno ante Xerxis in Graeciam expeditionem, exeunte Olymp. LXXIII, sive 485 a. C. Idem libros Olympiae recitavit Olymp. LXXXIV, i. e. 444. Vid. Barthel. Chronol. et Wessel. Praefat. ad Herod., qui aliam rationem sequitur.

(2) Appar. Crit. p. 30. Kiliae 1826.

(3) Herod. III. 120. *κατὰ δέ κου μάλιστα Καμβύσεω νοῦσον ἐγένετο τάδε* et 126. *χρόνῳ δὲ οὐ πολλῷ ὕστερον καὶ Ὀροίτεα Πολυκράτεος τίσιες μετῆλθον· μετὰ γὰρ τὸν Καμβύσεω θάνατον*, cet.

(4) Tab. Chronol. p. 630.

(5) H. N. XXXIII. 6. ed. Bip.

(6) Res Samiorum p. 41.

(7) Cf. Baehr. ad Herod. III. 121.

De Lacedaemoniorum expeditione adversus Polycratem haud difficili quoque ratione constabit. Facta enim est Cambyse Aegypto bellum inferente (1), quod uno proelio ad Pelusium diremtum nec longo tempore tractum esse novimus. Accidit hoc anno 525, s. Olymp. LXIII a. 4, quo et Larcherus bellum Laconicum statuit. Minus recte Schultzius auxilium Cambysi, Aegyptum invadenti, hoc anno a Polycrate missum ait, quod jam superiori ad eum, exercitum et classem parantem, videtur esse profectum: si quidem Samiorum exsules, postquam frustra reditum in patriam tentaverant, tum demum Spartam sunt profecti et a Lacedaemoniis auxilium, neque id statim tamen, impetrarunt (2). At profecto errant et Panofka (3), et Manso (4), quorum ille 2, hic 1 annum Olymp. LXIII, i. e. 527 et 528 a. C., huic expeditioni assignat.

Sequitur, ut de initio tyrannidis Polycratis videamus. Fuerunt, qui id in Olymp. LX annum 1, i. e. 540 ante aeram nostram, rejicerent (5), et haec vulgarior est sententia, quamquam nullis confirmata testimoniis. Alii autem dominationem Polycrati tribuunt multo longiorem, ut scilicet cum aetate ejus congruant quae de Pythagora narrantur. Hunc enim in Aegyptum profectum lite-

(1) Herod. III. 39. *Καμβύσεω ἐπ' Αἴγυπτον στρατευομένου*.
(2) Herod. III. 45 sq. (3) p. 31.
(4) Sparta Tom. I. P. 2. p. 329 in conspectu chronol.
(5) Heeren. Handb. der Gesch. p. 175.

ris a Polycrate Amasi hospiti commendatum esse atque in illa regione viginti duos annos degisse (1), deinde cum in patriam rediisset et tyrannidem ferre non posset, in Italiam abiisse legimus (2). Itaque Bentleius (3) eumque secutus Panofka (4) tyrannidis initium Olymp. LIII a. 3, i. e. 566, posuerunt: quorum sententiam recte refutavit Schultzius (5). Etenim temporum in his prorsus non constare rationem jam monuerat J. F. Gronovius (6), qui docet, Pythagoram neque Olymp. LXII in Italiam venire potuisse, quo tempore primum dominari coeperit Polycrates, neque hujus eum, sed potius Sylosontis fratris fugisse tyrannidem, sive regnante adhuc Tarquinio Superbo, seu demum Bruto consule Crotona venerit (7). Itaque

---

(1) Diog. Laert. VIII. Segm. 3; Porphyr. de V. Pyth. ed. Kiessling. Lips. 1816. Part. post. p. 14 (§ 7. p. 9); ibid. p. 20 (§ 9. p. 13); Jamblich. de V. Pyth. c. 2. p. 30 (p. 8) ed. Kiessling. Lips. 1815; Clem. Stromat. I.

(2) Diog. Laert. l. l. 17; Porphyr. l. l. p. 30 (§ 16. p. 19); Jambl. l. l. p. 188 (p. 73); Plut. de plac. phil. I. 3; Cic. Tusc. disp. I. 16, IV. 1; Ovid. Metam. XV. 60 sqq.; Solin. Polyhist. c. 17. Cf. Strabo XIV. 1.

(3) Resp. ad Boyle de aet. Pyth. Opusc. phil. p. 184 sq. Lips.

(4) p. 29 sqq.

(5) In Apparat. crit. p. 30 sq. laud. Baehr. ad Herod. III. 39.

(6) Ad Gell. N. A. XVII. 21.

(7) Insula Samo, ipsi a Dario donata, potitus est Syloson, secundum Heeren. p. 175, anno 517, secundum Gronovium Olymp. LXVI ao. 4. s. 513; quod utrumque sero videtur. Hanc autem a Persis, qui eum reduxerant, crudelissime vastatam et incolis pene vacuam (unde versus, ἕκητι Συλοσῶντος εὐρυχωρίη, qui in proverbium abiit) gravi

haec computandi ratio primum Herodoti narrationi omnino repugnat et ipsius verbis refellitur, qui brevi admodum tempore, ἐν χρόνῳ ὀλίγῳ αὐτίκα, res Polycratis auctas esse refert. Deinde ne sic quidem inter se consentient qui de Pythagora scripserunt. Hic enim, si Jamblicho credas, duodeviginti annos natus, recente Polycratis tyrannide, ὑποφυομένης ἄρτι τῆς Πολυκράτους τυραννίδος, patriam reliquit et a Cambysis exercitu inter captivos ex Aegypto abductus Babylonem venit (1): eodem et Porphyrio auctore, quadragesimum agebat aetatis annum, cum in Italiam discessit; venit eo, ut potissimum Ciceronem (2) sequamur, qui in eam rem diligentius videtur inquisivisse, regnante Superbo, qui anno 534 rerum potitus est. Quod si post peregrinationem viginti duorum annorum primo statim hujus regis anno in Italiam venisset, non Olymp. LIII ao. 3, sed decem post annis, Olymp. LVI, et ipse Samo profectus, et tyrannus imperio potitus foret.

Polycratis dominatio ut splendidissima, ita omnino brevissima videtur fuisse; cujus initium constituere facilis sane res foret, si probari posset,

---

dominatione tenuit. Cf. Herod. III. 139 ibique Valck., 149 et Baehr. ad h. l. et, quos laudant, Strabo XIV. 1 et Zenob. III. Prov. 90. — Huc pertinet Anaximenis ad Pythagoram epistola apud Diog. Laert. II. 5, quam Polycratis tyrannidem spectare putat Valckenaer; ipsa autem verba οἱ Αἰάκεος παῖδες potius de Sylosonte intelligenda videntur, quam de Polycrate, cujus longe clarius nomen erat.

(1) Jamblich. de V. Pyth. c. 4. § 19. p. 50.

(2) Tusc. disp. IV. 1 sqq.

id quod Petavius (1) et Barthelemius (2), qua auctoritate nescio, memoriae prodiderunt, undecimo illum tyrannidis anno necatum esse, quod anno 523 accidisse ex iis, quae diximus, satis constat. Secundum hos igitur Olymp. LXI a. 3 dominari coepisset. Propius tamen ad veritatem videtur accedere Larcheri (3) sententia, qui Olymp. LXII annum 2 posuit. Mihi tamen magis placet allata Gronovii opinio, qui Olymp. LXII annum 1, s. 532 a. C., statuit, quum praesertim haec diligentissimis Volneii (4) computationibus confirmetur, neque alia sit Eusebii ratio, quam et Schultzium comprobasse video, si quidem primus annus hujus Olympiadis non cum a. 531, ut edidit Baehrius (5), sed, ut diximus, cum anno 532 congruit. Huic autem sententiae magna accedit auctoritas ex iis, quae Thucydides (6), de re nautica Graecorum agens, memoriae prodidit,

---

(1) Rat. Temp. p. 102.

(2) Tab. Chronol. I. ad calcem Anachars. Cf. Moebius in vit. Anacr. p. VIII.

(3) Tab. chronol. p. 628.

(4) Chronol. Reg. Lyd. § 1; Chronol. Herod.

(5) Ad Herod. III. 39.

(6) Lib. I. c. 13. *καὶ Ἴωσιν ὕστερον πολὺ γίγνεται ναυτικὸν ἐπὶ Κύρου, Περσῶν πρώτου βασιλεύοντος, καὶ Καμβύσου τοῦ υἱέως αὐτοῦ, τῆς τε καθ᾽ ἑαυτοὺς θαλάσσης Κύρῳ πολεμοῦντες ἐκράτησάν τινα χρόνον. καὶ Πολυκράτης Σάμου τυραννῶν ἐπὶ Καμβύσου, ναυτικῷ ἰσχύων, ἄλλας τε τῶν νήσων ὑπηκόους ἐποιήσατο, καὶ Ῥήνειαν ἑλὼν, ἀνέθηκε τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Δηλίῳ.* Deinde Phocaeensium, qui Massiliam condiderant, bella cum Carthaginiensibus commemorat, ut eum temporum ordinem servasse appareat.

e quibus apparet, civitatibus Ionum jam a Cyro subactis, itaque post annum 540, et quidem, quod diserte addit, Cambyse regnante, Polycratem Sami tyrannum fuisse ac navibus potentem complures sibi subjecisse insulas.

Hac igitur ratione pleraque eorum, quae de Pythagora memorantur, haud adeo absurda videntur, praesertim si conjicere licet, eum Olymp. LXII primum reliquisse patriam, ut Aegyptum peteret, quo eum anno in Italiam abiisse perperam creditum est. Tum certe, si post viginti duos annos Samum rediit, hanc a Sylosonte aut filio Aeace oppressam invenit et sub extrema Tarquinii tempora aut exactis jam regibus in Italiam venire potuit (1). Fatendum tamen est, cuncta, quae ad Pythagoram spectant, tantis involuta esse tenebris, ut non facile quisquam iis lucem addere queat.

Roget fortasse aliquis, cur tam remoto tempore dominatum occupavisse Polycratem censuerint Bentleius et Panofka? Longius quidem illud remo-

---

(1) Neque sane locus Strabonis XIV. 1. aliam ferre videtur interpretationem. *Ἐπὶ τούτου δὲ καὶ Πυθαγόραν ἱστοροῦσι, φυομένην ἰδόντα τὴν τυραννίδα, ἐκλιπεῖν τὴν πόλιν, καὶ ἀπελθεῖν εἰς Αἴγυπτον καὶ Βαβυλῶνα, φιλομαθίας χάριν. Ἐπανιόντα δ' ἐκεῖθεν, ὁρῶντα ἔτι συμμένουσαν τὴν τυραννίδα, πλεύσαντα εἰς Ἰταλίαν, ἐκεῖ διατελέσαι τὸν βίον.* Sub Polycrate patriam reliquit, quum tyrannidem ortam vidisset; in Italiam abiit, quum eandem adhuc durantem videret; quod si de Polycrate intelligendum esset, *τὴν αὐτοῦ τυραννίδα* scripsisset. Notandum autem, ut Strabo *φυομένην τὴν τυραννίδα*, sic Jamblichum *ὑποφυομένης τῆς τυραννίδος* dixisse, ut hunc locum ante oculos habuisse sed non intellexisse videatur.

vere placuisset; at scilicet obstabant regni 42 annorum spatium, sic jam ei tributum, et quaedam olim a Samiis commissa, quae ante Polycratem accidisse statuunt, quod hic ea non passurus fuisset (1). De quibus pauca dicenda videntur, quia sic egregie nostra confirmatur sententia. Legimus apud Herodotum (2), aetate, quae Lacedaemoniorum praecessit expeditionem, *γενεῇ πρότερον τοῦ στρατεύματος τούτου*, trecentos Corcyraeorum pueros, quos Periander Sardes ad Alyatten miserat castrandos, a Samiis esse servatos: porro eodem ferme tempore, *κατὰ δὴ τὸν αὐτὸν χρόνον*, Lacedaemoniis craterem, quem Croeso portabant, et anno ante loricam, ipsis ab Amasi dono missam, a Samiis erepta esse. Plutarchus (3) vero tertia aetate post servatos Corcyraeos, *μετὰ τρεῖς γενεὰς*, susceptam illam expeditionem refert. Hos autem conjungere studens Panofka (4) literam *γ'* ante vocem *γενεῇ* excidisse conjicit et *τρίτην γενεὴν* sexaginta et amplius annorum spatium complecti statuit. Itaque, si ei credas, Olymp. XLVII anno 3, i. e. 590 a. C., non solum pueri illi Sardes missi, sed etiam crater Lacedaemoniis ereptus est (5). Cujus conjecturae quanta sit sagacitas facile quisque perspiciat. Ita enim Croeso, quem scilicet anno a. C. 571 patri successisse constat,

(1) Panofka p. 30.
(2) III. 48 et 47.
(3) De Herod. malign. c. 22.
(4) p. 31.
(5) Panofka p. 28.

undeviginti annis ante crater ille missus erit, atque anno superiori lorica Amasi erepta, qui ante annum 570 regnare non coepit (1). Quamquam et hic misere homo lapsus est, ad Olymp. XLVIII referens, quod anno ante raptum craterem factum erat (2). Sed ecce majus ignorantiae documentum. Quo tandem potius tempore, nisi aliunde constaret, craterem istum Croeso missum suspicemur, quam postquam ipse, Persis bellum illaturus, legatos cum donis Spartam misisset, qui Lacedaemoniorum peterent societatem (3)? Qui si antea ei missus fuisset, et jam olim amicitiae ei cum Lacedaemoniis intercessissent, haud sane ei opus fuerat inquirere, quinam Graecorum essent potentissimi, ut hos sibi bellum agitanti conciliaret (4). Et ita revera sese res habet; nam totam illam rem de cratere, ut societate cum Croeso facta a Lacedaemoniis ipsi dono missus sit neque tamen Sardes pervenerit, sive eum vi rapuerint Samii, seu ipsi vendiderint Lacedaemonii, alio loco (5) co-

---

(1) Haec Volneii in Chronol. Herod. est sententia. Heerenius, qui initium regni Croesi eodem anno statuit, Amasin demum anno 563, quo Apries occisus est, rerum potitum esse refert. Animadvertendum tamen, diu jam ante eum cum Aegyptiis adversus regem suum rebellasse. Cf. Handb. p. 30 et 74.

(2) id. p. 29.

(3) Herod. I. 69.

(4) Herod. I. 56. *μετὰ δὲ ταῦτα ἐφρόντιζεν ἱστορέων, τοὺς ἂν Ἑλλήνων δυνατωτάτους προςκτήσαιτο φίλους· ἱστορέων δὲ εὕρισκε Λακεδαιμονίους καὶ Ἀθηναίους προέχοντας.*

(5) I. 70.

piose narrat Herodotus, quem quamquam ignorasse videtur Panofka, tamen ex Plutarchi libello egregium scriptorem corrigere tentat. Cujus, quaeso, fidem ac diligentiam videas (1). Croesus initio anni 557, postquam quatuordecim regnaverat annos totidemque dies obsessus fuerat, a Cyro captus est (2). Vere anni superioris Haly flumine trajecto Persis bellum intulerat (3), societate antea cum Lacedaemoniis confirmata. Hos igitur anno 558 aut superiori donum suum Sardes avexisse probabile est. Γενεὴ Herodotea autem, quamquam haud raro longius aut brevius temporis spatium complectitur, vulgo tamen 33 annorum solet esse, si quidem, ipso auctore (4), γενεαὶ τρεῖς ἀνδρῶν ἕκατον ἔτεά ἐστι; qui numerus si additur 525, quo anno Lacedaemoniorum adversus Polycratem suscepta est expeditio, exacte congruet annorum ratio. Quod si non urgemus verba κατὰ

---

(1) Quam accurate temporum ordinem servet et lectoris memoriae consulat Herodotus, egregie disputavit frater carissimus E. Waardenburg in Diss. de nativa simplicitate Herodoti p. 110.

(2) Herod. I. 86. — Clinton in Fastis p. 6, auctoritatem Solini I. 112 et Laertii I. 95 secutus, Sardes Olymp. LVIII a. 3, s. 546 captas esse statuit. Cf. Ejusd. Append. XVII de Lydiae Regg. p. 311. Equidem accurata disputatione Volneii Chron. reg. Lyd. § 1. p. 385 sqq. adducor, ut anno 557, s. Olymp. LV a. 3, quem et Heerenius (Handb. p. 30) probavit, nihil certius esse putem; eo magis, quod illo Suidae de Anaximene confirmatur: γέγονεν ἐν τῇ νε΄ ὀλυμπιάδι ἐν τῇ Σάρδεων ἁλώσει, ὅτε Κῦρος ὁ Πέρσης Κροῖσον καθεῖλεν.

(3) Herod. I. 75.

(4) II. 142. Cf. Volneius Chron. reg. Lyd. § 1.

δὴ τὸν αὐτὸν χρόνον, deportatio quoque puerorum Corcyraeorum cum Periandri aetate convenit, quem usque ad Olymp. LIV annum 1, s. 564 a. C., dominatum tenuisse probavit Larcherus. Hic quidem eam ad annum 565, raptum autem craterem nimis sero ad annum 555 refert. Sed omnino vix sex septemve anni inter utramque rem videntur effluxisse, quum extrema aetate Periander ita caedem filii ultus sit (1).

Ceterum in primis dolendum est, nullam regum aut magistratuum in numis Samiorum, quorum ingens copia superest, fieri mentionem, qua ordo temporum constitui possit (2).

---

(1) Cf. Herod. III. 53 et Baehr ad ejusd. lib. c. 48.

(2) Cf. Eckhel. doctr. num. Tom. II. p. 568—570.

CAPUT SECUNDUM.

INITIA DOMINATUS POLYCRATIS.

Cyrus, rex Persarum, quum civitates Graecas, quae Asiam incolebant, sub potestatem suam redegisset, insulae tamen liberae manserunt a Persarum dominatione et periculo. Hae mari satis erant tutae, quum neque jam Phoenices in victoris ditionem concessissent, et Persae ipsi a navigatione essent alienissimi (1). In his Samos insula prae ceteris Ionum civitatibus mercatura et artibus florebat, quae exiguo freto a continenti terra disjuncta innumeras incolis praebebat opportunitates. His reges olim aut tyrannos fuisse legimus Amphicratem (2), Sylosonta, Callitelis f. (3), Demotelem (4): ceterum summa rerum penes Geomoros erat. Hi Samiorum optimates originem duxisse videntur a priscis colonis, qui, Caribus subactis aut insula ejectis, agros inter se diviserant et ceteros incolas dura dominatione oppressos tenebant (5).

(1) V. Herod. I. 143. (2) Herod. III. 59.
(3) Polyaen. VI. 45. (4) Plut. Quaest. Gr. LVII.
(5) Plut. l. l. Panofka p. 83. his laudat Plut. Nic. II, quo quem

Fieri autem non potuit, quin mercaturae studium multos exteros Samum conduceret, qui, quo majores opes congessissent, superbiam optimatium eo impatientius ferebant. Suspicari quoque licet, complures Graecos, Persarum servitutem fugientes, brevi tempore ante Polycratis tyrannidem, Asiam reliquisse atque Sami fortunarum suarum sedem posuisse, qui novarum rerum avidi facili negotio adduci poterant, ut opprimendae reip. consilium adjuvarent. Etenim, id quod jam Cicero (1) animadvertit, »in optimatium dominatu vix particeps »libertatis potest esse multitudo, cum omni con»silio communi ac potestate careat:" itaque haec primum quemque, qui se ducem adversus illam factionem profitetur, cupide amplecti solet. Praeterea maritimis urbibus proprium illud esse solet, ut commutationes in iis facillime fiant et plebis animus mobilis atque irrequietus ad quaevis nova rapiatur (2). Hinc autem intelligitur, Polycrati tyrannidem affectanti tam prospere incepta successisse, ut illam, nemine fere resistente, occupaverit ac quietus ad mortem usque tenuerit: eo magis, si reputes, quibus artibus vulgum sibi conciliaverit ac deinde in potestate sua retinuerit.

Polycrates, Aeacis filius, magnas divitias a patre relictas habebat. Hunc quoque antea rerum poti-

---

locum ejus scriptoris intelligat, nescio. In vita quidem Niciae de Geomoris nulla fit mentio.

(1) De Rep. I. 27. (2) Cf. Cic. de Rep. II. 4.

tum, a quibusdam proditum est memoriae (1): cujus rei tamen nullum apud veteres scriptores vestigium inveni. Quod si Aeaces jam Sami tyrannus fuisset, illud non ignorasset Herodotus, et Syloson, fratre Polycrate occiso, Samum sibi a Dario deposcens, ut paternum regnum repetivisset (2). Ortus autem videtur hic error nomine alterius Aeacis, Sylosontis filii, qui post hunc Sami potitus utile Dario in bello adversus Iones praestitit auxilium et inter custodes pontis, quem in Istro fecerat, refertur (3). Sed hunc Polycratem libido maxima invaserat reip. capiendae. Itaque sedulo id agebat, ut quibuscunque modis posset, gratiam sibi quaereret. Ac multos quidem largitionibus videtur illexisse, ut incepta sua probarent: nam opibus ita utebatur, ut non solum ipse lauto et magnifico vivendi genere popularium suorum in se oculos converteret, sed etiam ut summa liberalitate omnium sibi conciliaret animos. Itaque vasa pretiosa et triclinia magnifice strata sibi comparaverat, quibus qui nuptias vel lautiores epulas celebrarent ut suis uti licebat (4). Sic se gerendo minime est mirandum si apud omnes plurimum valuit auctoritate atque viam sibi ad dominatum munivit.

Huic ubi jam tempus visum est incepta perfi-

(1) Barthel. c. 74. Vol. VI. p. 305 ed. stereot.
(2) Herod. III. 140. (3) Herod. IV. 138.
(4) Alexis ap. Athen. Deipnos. XII. c. 10. p. 540.

cere, rem cum fratribus Pantagnoto (1) ac Sylosonte communicat hisque promittit, si se in occupanda dominatione adjuvent, fore uti secum patriae imperitarent. Ceterum non plures quam quindecim hujus conjurationis fuisse participes videntur: tot enim armatis fretum Polycratem Samum subegisse, Mitrobates Oroetae exprobrat (2). Credibile tamen est, Polycrati jam tum aliquam intercessisse necessitudinem cum tyrannis, quibus pleraeque Graeciae civitates eo tempore subjectae fuerunt (3), quorum utique res ferebat eum talia molientem quacunque re possent adjuvare. Sic enim optime ipsorum confirmari posset dominatio, si omnes liberae civitates singulis parerent. Illud quidem constat, Polycratem rerum potitum statim milites, quibus se tueretur, a Lygdamide, Naxiorum tyranno, arcessivisse, quorum praesidio dominatum obtinuit (4).

(1) Polyaenus, qui hoc narrat (Strateg l. I. c. 23), alterum fratrum *Παντάγνωστον* nominat. Hieron. Chron. Euseb. ad Olymp. LXII a. 1 (in edit. Scalig. ad Olymp. LXIII a. 3. p. 128) haec habet: »Apud »Samum tyrannidem exercent tres fratres Polycrates, Sylus" (quod emendavit Scaliger *Syloson*) »et Pantagnotus."

(2) Herod. III. 120.

(3) Cf. Thuc. I. 13, Plut. de Her. mal. 21, Winckelm. Hist. de l'art. VI. 1. p. 204.

(4) Polyaen. l. c. Lygdamis tyrannus Naxo praefectus est a Pisistrato, postquam hic, anno 537 aut superiori tertium Athenis potitus, insulam bello sub potestatem redegerat (Herod. I. 64). Itaque Polycratem ante illud tempus adjuvare non potuit: quod Eusebii et nostram rationem confirmat, ut recte monuit Clinton. ad a. 532. Cf. Schultz. App. Crit. p. 31.

Igitur maxime opportunum tempus ratus, quo Samii festum in honorem Junonis celebrare solebant, singula uti opus foret disposuit. Mos enim erat Samiis solenni pompa ad templum deae, quod haud longe ab oppido in Heraeo promontorio positum mare prospiciebat, ad statum sacrificium procedere. Primae ibant mulieres festo ornatu, vittis atque armillis insignes (1): has viri armati et scuta gestantes sequebantur. Ubi ventum erat ad templum, sacrificio instituto, quum vota et preces deae fierent, arma ad aram deponi jus erat. Hujus moris specie consilium occultans Polycrates arma quam plurima parat, fratribus imperat, uti pompam sequantur, deinde inermes et sacrificio intentos aggrediantur. Hi, uti jussi erant, cum ceteris conjuratis adversarios ex improviso adorti omnes caedunt, ac celeriter armati ad oppidum decurrunt, ut fratri se conjungant. Hic interea reliquos hujusce consilii participes in urbe collegerat, opportuna loca ceperat, arcem ipsam, Astypalaeam, praesidio occupaverat, quam deinde, receptis in oppidum fratribus, munivit atque ita Samios dominatu tenuit oppressos.

Haec fere sunt, quae refert Polyaenus. Quibus credere si liceat, Herodoto, cum quindecim tantum armatos Polycrati in occupando dominatu affuisse narrat, vix fides haberi potest. Qui numerus si de

(1) Asius ap. Athen. XII. p. 525.

illis intelligendus sit, qui oppido ipso potiti esse dicuntur, vel sic tamen videatur exiguus; sed plane incredibilis, si tam paucos suffecisse credamus, ut multitudinem illam, quae Junonis festum celebrabat, non solum opprimeret, verum, ut ait Polyaenus, *omnes deinceps occideret.* Piget tamen fidem derogare Herodoto, qui, Polycrati dimidio seculi vix posterior, et recens fuit ab hac memoria, et Sami libros suos conscripsit: quos cum publice legeret Olympiae, mendacii eum convincere facile erat. Sed Polyaenus, quum simile Polycrati tyrannidis initium, atque alio loco (1) Sylosonti, Callitelis f., tribuit, historiam videtur turbasse. Hic enim, dux adversus Aeoles electus, cives suos ne statum Junonis festum intermitterent hortatus est, iisque in honore deae occupatis, urbem noctu cum classiariis ingressus, dominatum occupavit. Neque tamen trucidatos ab eo per solenne sacrificium cives legimus, quae sane res eo gravior est, quo majori religione templa deorum a veteribus coli solebant. Quid? qui tam nefario scelere se polluisset, ut aras civium suorum sanguine conspergeret, tam quietus obtinuisset dominatum, ut

(1) Polyaen. VI. 45. Eundem hunc ac fratrem Polycratis fuisse suspicatur Masvic. ad h. l., quod mihi non perinde videtur. Nam et bellum cum Aeolibus gestum commemoratur, quibus veteres cum Samiis, utpote Ionibus, fuere simultates, et expresse Callitelis filius vocatur. Ceterum Panofka p. 27 hunc ante regem Demotelem fuisse refert, perperam allatis Herod. III. 45 et Polyaen. I. 23. De Demotele vid. Plut. Quaest. Gr. LVII, non VII.

imperii vitaeque ejus idem finis esset? Qui impio sacrilegio omnia jura divina atque humana violasset, Herodotum (1) praeconem laudis habuisset? Itaque ipsa illa caedis tam inutilis atrocitate, quae moribus Polycratis omnino repugnat, adducor, ut Polyaeni narrationem, nisi plane falsam, fabulis certe admixtam existimem. Enimvero ut Pisistratum, cum parva manu satellitum arce Atheniensium occupata, civitatem in potestate sua tenuisse legimus, sic Polycrates quindecim militum auxilio Astypalaeam tamdiu potuit defendere, donec misso a tyranno Naxiorum praesidio omnis insulae potiretur. Neque tamen non satis probabile est, eum potissimum festum Junonis elegisse, quo tota civitas, operata sacris, idoneum insidiandi locum relinquebat; sed caedem illam nullo pacto factam esse existimo.

Quidquid ejus rei sit, Polycrates, auctore Herodoto (2), civitatem vi oppressam, primo quidem cum fratribus est partitus, sed deinde altero ex his occiso, altero, Sylosonte, qui natu minor erat, in exsilium misso, solus obtinuit. Herodotus utitur voce πόλις, quae hoc loco nihil aliud, quam dominatum in cives videtur significare et nunquam profecto de oppido ipso accipienda est (3). Itaque non video, quo modo hinc colligi possit,

(1) III. 125. (2) III. 39.
(3) De significatione vocis πόλις vid. Valcken. ad Phoen. vs. 932.

ut scribit Panofka (1), Polycratem urbem Samum ita cum fratribus divisisse, ut partem quisque ejus, ac Polycrates quidem Astypalaeam, reliquas duas fratres obtinerent. Equidem conjunctum eos imperium habuisse potius crediderim. Sed idem addit, tres illas partes non alias esse ac Tribus, quae in civitate Samiorum fuerunt. Quam opinionem minime probandam puto. Duas tantummodo Samiorum Tribus fuisse, *Schesiam* s. *Chesiam* et *Astypalaeam*, disertis verbis apud Etymologum Magnum (2) legimus. His ille tertiam addit *Aeschrioniam*, memoratam Herodoto (3), qui ex ea originem ducere ait incolas Oasis majoris, quam Graeci *Beatorum insulas* (4) vocabant. Hujus autem Tribus nusquam praeterea ulla a veteribus facta est mentio. Vera quidem sunt quae disputat Panofka: »Phylarum duplex est genus, »alterum quo designatur locus habitationis, alte- »rum quo certa pars incolarum nulla loci ratione »habita." At quotiescunque antiquissimis tempo-

---

(1) Res. Sam. p. 32 et 81 sq.

(2) In v. *Ἀστυπ.* p. 160, 22. *Εἰς δύο φυλὰς Προκλῆς καὶ Τεμβρίων τὴν πόλιν διένειμαν· ὧν τὴν μὲν Χησίαν ὠνόμασαν ἀπὸ τοῦ Χησίου ποταμοῦ παρακειμένου τῇ πόλει, τὴν δὲ Ἀστυπαλαίαν ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ ἐκεῖσε ὄντος ἄστεος.*

(3) Herod. III. 26.

(4) *μακάρων νῆσοι* habet Wessel. — Schweigh., Gaisf., Matth., et Baehr. legunt *νῆσος*, quod non necessarium puto. Commune id olim nomen Chio, Samo et Coi, sive ob fertilitatem, seu de nomine Macarei inditum, fuisse docet Diod. Sic. V. 82, unde Samii coloniam suam in Aegypto videntur appellasse.

ribus Tribus in civitate commemorantur, de iis cogitandum est, quas communis origo, non habitandi locus, conjunxit (1). Tribus enim a communi genere profectae, φυλαὶ γενικαὶ, antiquiores sunt, quam τοπικαὶ (2), eodem loco habitationis constitutae, licet hae quidem in plerisque civitatibus, paulatim exaequato omnium jure, antiquiores illas obliteraverint. Quod ad Samiorum Tribus, has diversa gentis origine natas esse ostendere posse mihi videor. Antiquitus insulam habuere Cares et Leleges. Primam eo coloniam miserunt Aeoles ex Ithaca et Cephallenia: deinde Iones, Epidauria expulsi, Procle ac Tembrione ducibus, in ea consederunt (3). Hi civitatem in duas Tribus divisisse dicuntur, quumque probabile sit, priscos incolas in gentem nomenque imperantium concessisse, Aeoles et Iones suam utrosque Tribum habuisse necesse est. Antiquissimis Tribubus nomen erat patronymicum, ab eponymo quodam derivatum (4). Id genus profecto est *Aeschrionia*, quod ab antiquo heroë oriundum videtur (5). Hoc itaque alteram earum Tribuum antiquitus appel-

---

(1) Propterea Tribus saepe nihil aliud quam gentem significat, quemadmodum Herod. I. 125 decem Tribus Persarum γένεα vocantur. Vid. Niebuhr. Röm. Gesch. I. p. 309 sq., 321 sqq.

(2) Dionys. IV. 14. p. 219. C.

(3) V. Diod. Sic. l. l., Strabo X. 2 et XIV. 1, Etym. M. in v. Ἀστυπ.

(4) Cf. Niebuhr. l. l. p. 328.

(5) Cf. quos laudat Panofk. p. 82. not. 1.

latam, neque unquam plures quam duas in insula fuisse censeo, quarum deinde nomina a loco, ubi habitabant, in Astypalaeam ac Chesiam mutata sunt. Quid enim? Samios, qui in Aegypto consederant, num ex una omnes urbis parte eo profectos esse putemus, an potius, genere cognatos, quacunque re adductos, ea loca occupasse? Ea sane deducendi colonias apud veteres solebat esse ratio. Neque causae deesse poterant, cum praesertim inter Aeoles et Iones perpetua essent dissidia.

Sed de causis ortae inter fratres simultatis nihil constat: neque tamen opus est, ut eodem in utrumque tempore saevierit Polycrates. Sylosontem quidem, pulsum patria, in Aegypto degisse legimus in re satis lauta, quod datum Dario, Cambysis eo tempore satelliti, declarat amiculum (1). Significat autem Herodotus, eum nec mercandi, nec militandi gratia, sed ut regionem viseret, eo venisse (2) et Memphi privatum in otio vixisse.

---

(1) Herod. III. 139.

(2) Ibid. *ἄλλοι τε συχνοὶ ἐς τὴν Αἴγυπτον ἀπίκοντο Ἑλλήνων, οἱ μὲν, ὡς εἰκὸς, κατ᾽ ἐμπορίην· οἱ δὲ στρατευόμενοι· οἱ δέ τινες καὶ αὐτῆς τῆς χώρης θεηταί· τῶν ἦν καὶ Συλοσῶν* cet. Fallitur ad h. l. Valcken. V. Cl., qui cum in omnibus M. SS., uno excepto, *οἱ δὲ* ante *στρατευόμενοι* desint, hoc verbum male a librario insertum judicat, rogans, cui tandem sponte sua Graeci hoc aevo militatum venissent in Aegyptum? etenim Cambysis quidem aetate nondum Graecos in Persarum exercitu fuisse. At jam Apries, Aegypti rex, Graecos habuit mercenarios (Herod. II. 163), et ipse Psammenitus Graecorum et Carum auxilia (Herod. III. 11). Cambyses autem, ut omittam oblatum a Polycrate auxilium, milites e Graecis civitatibus

Quid, si eo potissimum tempore expulsum putemus, quo fratris animus, ab Amasi alienatus, ad Persas inclinare inceperit, ideoque illum in Aegyptum confugisse? Quod si Polycrates factione simul ejus liberari se voluerit, tantus numerus exsulum, quadraginta navibus impositus, minus incredibilis videtur (1). Sed de his nonnisi conjecturam facere licet, eo minus certam, quod in iis investigandis omnes omnino nos deficiunt scriptores, qui totam illam rem silentio praetereunt. Itaque unde digressi sumus, eo redeamus.

---

secum duxit (Herod. II. 1, III. 13 et 19). Quod nisi vulgatam retineas, ita distinguendum: *οἱ μὲν, ὡς εἰκὸς, κατ᾽ ἐμπορίην· στρατευόμενοι οἱ δέ· τινες καὶ* cet.

(1) Herod. III. 44.

CAPUT TERTIUM.

RES GESTAE POLYCRATIS.

Perpauca sunt, quae ex Herodoti historia de rebus a Polycrate gestis colligere possumus, cujus tamen veritas a Thucydide (1) et Strabone (2) egregie confirmatur. Brevi mox tempore, ita narrat Herodotus (3), Polycratis invaluerunt opes ac celebres per Ioniam ceteramque Graeciam fuerunt. Quocunque enim arma inferret, prospere ei cuncta cedebant. Centum naves quinquaginta remorum (4) habebat ac mille sagittarios: his infestabat et diripiebat omnes, nemine excepto: nam amico gratius se facturum ajebat, si ablata ei redderet, quam si omnino nihil abstulisset (5). Complures insulas

(1) I. 13. (2) XIV. 1. (3) III. 39.

(4) *πεντηκοντέρους*. De usu harum navium Vid. Thuc. I. 14.

(5) Hoc in primis de praedationibus maritimis intelligendum videtur. Eodem pertinet Polyaen. Strat. I. 23. *Πολυκράτει Σαμίῳ καταθέοντι τὴν Ἑλληνικὴν θάλατταν ἔδοξεν εἶναι στρατηγικὸν, εἰ κατάγοι κατὰ τῶν φίλων, ὡς εἰ ἀπαιτούμενα λαμβάνοιεν φιλοτέρους ἕξειν· οὐδὲν δὲ λαβὼν οὐκ ἂν οὐδ᾽ ἀποδοῦναι δύνασθαι*: ad quem locum elegantem Valesii et Masvicii conjecturam, *εἰ κατάγοι καὶ τὰ τῶν φίλων*, probat Wesseling. ad Herod. l. l. Ca-

multasque urbes in continenti expugnavit: tum etiam Lesbios cum omnibus copiis auxilium Milesiis ferentes navali proelio vicit et captivos fossam omnem, qua moenia Sami cinguntur, compedibus vinctos effodere coëgit.

Naves illae, quae Σαμίαι vel Σαμαίναι dicuntur, peculiari fuerunt structura, cujus inventorem ipsum fuisse Polycratem complures veterum scriptorum prodiderunt memoriae (1). Numerus autem mille sagittariorum huic classi justo minor visus est Larchero, ob ea, quae de ingentibus copiis Polycratis mox ab Herodoto (2) traduntur. Itaque Baehrius eosdem hic intelligi putat, qui illic τοξόται οἰκήιοι vocantur, hosque *regios satellites* fuisse censet, quales aliorum tyrannorum δορυφόροι vulgo occurrunt, praesertim cum praeter hos commemorentur ἐπίκουροι μισθω-

---

saubonus et vulgatam lectionem ferri posse dixerat, ita interpretatus: si classe infesta amicorum ditionem peteret.

(1) Suid. in Σαμίων δῆμος, Plut. Pericl. 26, Alexis ap. Athen. XII. c. 10. p. 540. Eadem forma naves fuerunt Samiorum, qui Cydoniam condiderant, quarum rostra in templo Minervae dedicarunt Aeginetae. V. Herod. III. 59. — Hippagum, quod genus navium Samios aut Periclem invenisse tradit Plinius VII. 57, huc refert Panofka p. 16; at accuratissima descriptio Plutarchi et Hesychii in Σαμίων τρόπος et Σάμαινα Samiam navem egregie ad bellum navale instructam fuisse, nec equis modo transvehendis inserviisse ostendit. Operae pretium est attendere, quantopere jam in arte aedificandi naves profecissent Samii, quas capacitate simul et cursus celeritate praestitisse, ac totas tabulato contectas fuisse legimus, quum illae, quibus Columbus, Oceano transmisso, novum orbem reperit, plane apertae fuerunt. Cf. W. Irving in Vit. Columb. IV. p. 241.

(2) III. 45, ubi vid. Baehr.

τοί, i. e. *milites conductitii*. Cui ego tamen non assentior. Primum enim sagittarios satellitum loco haberi nusquam legimus: et sane illud armatorum genus minime aptum videtur corporis custodiae. Quod si tamen his satellitibus Polycrates usus esset, profecto eos circum se retinuisset neque per naves esset dispertitus. Tum vero loco Herodoti laudato ita inter se opponuntur ἐπίκουροι μισθωτοί et τοξόται οἰκήϊοι, ut ne dubitari quidem possit, quin illi exteri, hi Samii fuerint. Neque sane exiguus videtur hic numerus, si numero remigum et sociorum navalium addis. Atheniensium quidem naves, quibus Persarum classem apud Salamina vicit Themistocles, singulae duodeviginti armatis, qui e tabulato pugnabant, instructae erant, quorum quatuor sagittarii, reliqui autem hoplitae fuerunt (1). Qui numerus si illis suffecit, facile hinc intelligitur, longe melius ad bellum paratas fuisse Polycratis naves, quibus singulis decem sagittarii suppeterent. Horum autem eaedem fere ac militum nostrorum navalium in pugna videntur fuisse partes, ut ex tabulatis aut e malis antennisque hostem infestarent. Ea certe pugnae navalis apud veteres erat ratio, ut res fere concursu navium atque eminus gereretur, neque multum manus consererent. Quod si reputes, quam pauci olim arcu bene uterentur, ut soli fere Cretenses ea

(1) Plut. in Vit. Themist. c. 14.

arte inclaruisse dicantur, quibuslibet hostibus illa sagittariorum manu facile superior potuit esse Polycrates. Cui si ingens etiam militum mercenariorum legitur fuisse numerus, neque hoc mirandum videtur; quippe qui deesse ei non poterant, cum praesertim multi patriis sedibus a Persis pulsi nihil aliud haberent, quo vitam sustentarent, quam si operam exteris locarent; quamquam et Croeso milites mercenarios fuisse (1), et olim Cares et Iones in exercitu Aegyptiorum militasse legimus (2).

Quaenam insulae et civitates captae, aut quae bella gesta sint a Polycrate, prorsus incertum est. Unam insulam Rheneam expugnatam refert Thucydides, unam pugnam navalem, cum Lesbiis, qui Milesiis auxilium ferebant, commissam, Herodotus. Hic non diserte quidem auxilium illud adversus Polycratem latum esse ait; attamen hunc iis bellum intulisse, ideo verisimile est, quod Miletum, Polycratis aetate, a Persis foedus (3), et horum metus ab omni hostili aggressione tutam praestabat, praeterquam ab ipso Polycrate, cujus opes extremis Cyri temporibus maxime auctae esse videntur (4). An vero eo pertineant quae Scholiastes ad Aristophanis Plutum (5) refert, et Po-

(1) Herod. I. 77.

(2) Herod. II. 163. *εἶχε δὲ περὶ ἑωϋτὸν Κᾶράς τε καὶ Ἴωνας, ἄνδρας ἐπικούρους τρισμυρίους.*

(3) Herod. I. 141 et 143. (4) Cf. infra Cap. Quintum.

(5) vs. 1003. *Τινές φασιν, ὅτι ἐν τοῖς παλαιοῖς χρόνοις ἰσχυρότατοι ἦσαν οἱ Μιλήσιοι, καὶ ὅπου προσετίθεντο, πάντως ἐνίκων.*

lycrates Milesiis, cum quibus foedus icturus erat, oraculi responso deterritus, bellum inferre constituerit, ut Panofka (1) perhibet, dubitare licet. Equidem nihil aliud lego, quam Polycratem, bellum quoddam parantem, consuluisse deum, an socios sibi Milesios adscisceret, et responsum illud satis ambiguum tulisse: *olim fortes erant Milesii.* Quis bellum inde ortum dicat? Quod vero addit, Polycratem clade, quam Samii a Milesiis aliquot ante annis perpessi erant, magis esse incitatum, quo tandem fonte eum hausisse dicamus? Nempe e loco Plutarchi (2), quem ita interpretatus est, ut quod ille de clade Prienensium refert, de Samiis dictum putet, eamque rem testimonio Ciceronis (3) et Aeliani (4) se probare credat, quorum locos ne inspexerit quidem necesse est. Illo

---

Πολυκράτης οὖν ὁ Σάμιος συγκροτὼν πρός τινα πόλεμον, ἠθέλησε λαβεῖν αὐτοὺς εἰς συμμαχίαν, καὶ εἰς τὸ μαντεῖον ἀπῆλθεν ἐρωτήσων περὶ τούτου· ὁ δὲ θεὸς ἔχρησεν,

Πάλαι πότ᾽ ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι.

In proverbium abiit hoc oraculum, quod et vs. 1075, et apud Synesium Epist. 80 et Suidam v. *πάλαι* et *ἦσαν* invenitur. Erasm. in Adag. p. 474 (ed. 1643) verba Scholiastae vertit, qui duplicem praeter hanc ejus originem prodit, qua de re vid. quae notavit Ti. Hemsterh. Alludere ad illud proverbium Aristoph. in Vespis vs. 1063 docuit Burm. Ceterum mira ejus est convenientia cum senum Lacedaemoniorum carmine, quod servavit Plut. in Vit. Lyc. c. 21.

Ἄμμες πόκ᾽ ἦμες ἄλκιμοι νεανίαι.

Significationem ejus ita tradit Schol.: *εἴρηται ἡ παροιμία ἐπὶ τῶν πρότερον μὲν εὐδαιμονούντων, νῦν δὲ ἀτυχούντων.*

(1) p. 28 et 33. (2) Quaest. Gr. XX.

(3) De Orat. III. 34. (4) Var. Hist. III. 17.

enim septem omnes, qui dicuntur, praeter Thalem, civitatibus suis praefuisse, hoc autem Bias et Thales de Ionia bene meriti esse dicuntur; sed ne verbum quidem de proelio Samios inter et Milesios commisso (1). Quod si quaeritur, cur iis bellum intulerit Polycrates, satis probabilis mihi causa videtur utriusque populi in Persas studium. Id de Milesiis quidem constat, et Lesbii paulo ante Pactyan, adversus Cyrum rebellantem, cum Mitylenas confugisset, Persis tradere voluerant (2): quo magis infensus iis esse debuit Polycrates.

Rheneam insulam Cambyse jam regnante et quidem extremo tempore Polycratis captam et Apollini Delio dicatam esse, ex oraculo, quod ei datum esse dicitur, atque ex ipso Thucydide colligi potest. Hanc ponte eum cum Delo junxisse refert Panofka (3). Hoc quidem opere omnium, quae Polycrati tribuuntur, nullum ego majus judicem: etenim fretum quingentorum fere passuum, quo insulae illae sejunguntur, ponte consternere tantae molis fuisset opus, ut olim inter septem illa, quae feruntur, orbis miracula relatum foret et vel nostra aetate admirandum videretur. Legimus quidem apud Plutarchum (4), Niciam Athe-

(1) Errorem postea intellexisse videtur Panofka, in addendis p. 28 vocem *Prienensium* inserens, neque tamen ita sustulit, qui in locis laudatis et p. 33 integer remansit. (2) Herod. I. 160. (3) p. 36.

(4) In vita Nic. c. 3. Ceterum hic scriptor fretum vocat πόρον οὐκ ὄντα μέγαν. Straboni tamen l. l. Rhenea ἐν τέτρασι τῆς Δήλου σταδίοις abesse dicitur.

niensem, quum theoriam Delum duceret, noctu fretum ponte stravisse, quo mane solennem pompam traduceret; sed hic navibus hoc solo consilio junctis constabat. Pontis autem a Polycrate facti neque apud Strabonem (1), neque apud alium quemquam veterum mentionem factam videmus, et vereor, ut loci Thucydidis (2) eam ferant interpretationem aut vocabulo *ἁλύσει*, quo usus est, ea tribuenda sit significatio; nisi forte de ponte catenis suspenso, quales nostra memoria aedificari coepti sunt, cogitare velis. Imo, quemadmodum Ephesios, quum a Croeso obsiderentur, urbem suam, fune e templo Dianae ad murum, septem stadiorum intervallo, alligato, deae dicasse legimus (3), ita Polycrates, cum Rheneam subactam

(1) Lib. X. c. 5.

(2) I. 13. *Ῥήνειαν ἑλὼν, ἀνέθηκε τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Δηλίῳ;* et III. 104. *τὴν Ῥήνειαν ἑλὼν, ἀνέθηκε τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Δηλίῳ, ἁλύσει δήσας πρὸς τὴν Δῆλον.*

(3) *ἀνέθεσαν τὴν πόλιν τῇ Ἀρτέμιδι, ἐξάψαντες ἐκ τοῦ νηοῦ σχοινίον ἐς τὸ τεῖχος*, Herod. I. 26. Ceterum *ἅλυσις* et *σχοινίον* significatione non differre videntur. Eodem pertinent quae de sociis conjurationis Cyloniae narrantur a Plut. in Vit. Solon. c. 12. Hi enim, quum in arce Athenarum ab Archontibus obsessi fame et inopia rerum omnium laborarent, filum, ad statuam Minervae annexum, tenentes conati sunt evadere, sed ubi ad fanum Eumenidum pervenerant, hoc sponte sua disrupto, pars lapidibus obruti, alii caesi sunt, quasi dea supplices hoc omine detestata esset. Ceterum Cylon ipse cum fratre prius effugerat, ut diserte proditum est a Thucyd. I. 126. Cf. praeterea de illo *scelere Cylonio*, quod ab Epimenide postea expiatum est, Herod. V. 71, Pausan. VII. 25, Diog. Laert. I. 110 et Menag. ad h. l., Cicer. de Leg. II. 11, ibique Interpp.

Apollini consecraret, catena Delo vinxit, ut significaret, deo se eam in perpetuam dedisse servitutem. In hac enim Deliorum sepulturae erant, quandoquidem in Delo ipsa aut nasci aut mori nefas ducebatur. Eodem autem tempore ludos pulcerrimos in honorem dei instituit et misit Delphos consultum, utrum eos Delia an Pythia vocaret. Deliberanti responsum est: *ταῦτά σοι καὶ Πύθια καὶ Δήλια*, quod in proverbium abiit de iis, qui supremum aliquod opus suscipiunt. Ita adagium ex Menandro citatum explicavit Erasmus (1), quod significare videtur, perinde, id est frustra esse quaecunque suscipias, itaque *ταῦτα* legendum est. Hoc igitur responso imminentem Polycrati mortem portendi creditum est.

De bello, quod cum Cyro a Polycrate gestum et in libro deperdito *περὶ τοῦ πολέμου Κύρου καὶ Σαμίων* descriptum ait Panofka (2), nihil dicemus, quoniam et temporum rationi repugnat, neque aliunde quidquam de eo constat, at certe minime omnium e locis Herodoti aut Thucydidis temere ab eo allatis. Ille contra (3) insulas Cyro regnante omni

---

(1) Adag. p. 671, Phot. et Suid. in v. *Πύθ. καὶ Δήλ.*

(2) p. 34, laudans Herod. I. 140 sqq., Thuc. I. 13, quorum uterque bellum illud plane ignorat, et Cedren. ap. Menag. Obs. in Diog. Laert. Pyth. VIII. (non 38 sed) 7. p. 351 ed. Meibom., quo scilicet loco haec leguntur: »Historiam belli inter Cyrum et Samios gesti scripsisse," (nimirum Pythagoram) »refert Cedrenus: sed omnino fallitur Cedrenus." Et sic scribitur historia, pro qua sua nobis somnia vendidit Panofka!

(3) Herod. I. 143.

periculo caruisse, hic (1) a Dario demum subactas esse refert. Quod si Heraeum, ut est apud Pausaniam (2), a Persis incensum fuerit, id eo tempore, quo Sylosonta Samum reduxerunt, aut recentiori etiam factum sit, necesse est.

Non magis audiendus est idem scriptor, quando Arcesilaum III, regem Cyrenaeorum, Polycrate imperante et quidem Olymp. LXI a. 3, i. e. 534, Samum venisse et exercitu ibi coacto regnum recepisse refert (3). Falsum hoc esse quisque videbit, qui Herodotum (4) accurate legerit. Arcesilaus Cyrenen Cambysi dediderat et tributarius Persarum factus erat (5). Igitur hoc Aegypto jam subacta accidisse apparet. Turbis deinde in civitate ortis, quod pristinam regum potentiam, a Demonacte imminutam, recuperare cupiebat, Samum profugit et exercitu comparato in regnum rediit; sed cum in suos saeviret, Barcen ad socerum fugere coactus et mox occisus est (6). Mater, cui procuratio regni delata erat, morte filii audita, auxilium imploravit Aryandis, quem Cambyses satrapen Aegypto praefecerat (7), et hic omnibus eam copiis adjuvit, specie quidem ulci-

---

(1) Thuc. I. 16.

(2) VII. 5. p. 151. *δύο δὲ ἄλλους ἐν Ἰωνίᾳ ναοὺς ἐπέλαβεν ὑπὸ Περσῶν κατακαυθῆναι, τόν τε ἐν Σάμῳ τῆς Ἥρας, καὶ ἐν Φωκαίᾳ τῆς Ἀθηνᾶς· θαῦμα δὲ ὅμως ἦσαν καὶ ὑπὸ τοῦ πυρὸς λελυμασμένοι.*

(3) Panofka p. 36. (4) IV. 162—168. (5) Ib. 165.

(6) Ib. 164. (7) Ib. 166.

scendi eam, sed revera, ut gentes Afras subigeret: *nam paucae ex iis*, addit Herodotus (1), *regi parebant, sed pleraeque Darium nihil curabant.* Hinc itaque intelligitur, Arcesilaum, Dario jam rerum potito, occisum, Polycrate imperante Samum venire non potuisse, quippe quem anno 523 ab Oroete interfectum esse probavimus. Heerenius (2) igitur initium regni ejus anno 526, mortem autem anno 520 statuit. Quod si eo tempore Samum venerit, quo insulam a Persis vastatam esse diximus, deesse certe non poterant, e quibus exercitum conscriberet.

Superest, ut de bello cum Lacedaemoniis gesto dicamus, quod copiosius enarravit Herodotus (3). Cambyse, Cyri filio, parante exercitum, quo Aegyptum invaderet, callido consilio usus est Polycrates, ut dominationem remotis adversariis confirmaret. Petiit a rege Persarum, ut a se quoque Samiorum postularet auxilia; quod cum lubens fecisset Cambyses et navium petiisset auxilium, Polycrates quoscunque sibi infestos ac novarum rerum studiosos cognoverat quadraginta imposuit triremibus atque ad Cambysen misit, addito simul mandato, ne unquam eos remitteret.

---

(1) Ib. 168. *καὶ τὰ μὲν αὐτῶν ὀλίγα βασιλέος ἦν ὑπήκοα, τὰ δὲ πλέω ἐφρόντιζε Δαρείου οὐδέν.*

(2) Handb. p. 196, Hardionis Hist. de Cyr. in Mem. Acad. Inscr. Tom. III in plerisque, ut videtur, secutus.

(3) III. 39, 44—47, 54—56.

Hi autem exsules brevi post in patriam redire sunt conati, sive, suspicati aliquid, jam in Carpathio mari naves flexerint, seu cognitis demum, postquam in Aegyptum jam pervenerant, tyranni insidiis, inde aufugerint. Duplex enim ea de re fama legitur apud Herodotum. His, quum Samum propinquarent, navibus obviam contendit Polycrates, sed pugna discessit inferior: mox vero, quum in insulam descendissent, pedestri eos proelio fugavit; quo facto navigarunt Lacedaemonem. Alii, exsules superiores fuisse, tradiderant, quos recte refutat Herodotus, primum, quod victoribus iis non opus Lacedaemoniorum fuisset auxilio, deinde, quod tyrannum, opibus valentem, tanta paucitate superatum esse haudquaquam verisimile erat. Et sane Polycratem, imparatum adversus exsules, quorum reditum ne suspicari quidem poterat, profectum, primo impetu fugatum esse, non est quod miremur; sed hos deinde etiam plus valuisse plane incredibile videtur.

Sed exsules, cum Spartam venissent (1), adierunt magistratus ac longa oratione eorum auxilium implorarunt, a quibus illud tulerunt responsum, quod Cleomeni regi tribuit Plutarchus: *priora obliti sumus, posteriora non intelleximus* (2). Redierunt

(1) Ut tunc exsules, sic postea Maeandrius, qui Polycrati successerat, a Persis expulsus, auxilium a Lacedaemoniis petivit, quod tamen negatum et ipse Sparta excedere jussus est. Vid. Herod. III. 148 ibique Valcken. et Plut. Lacon. XVI.

(2) *τὰ μὲν πρῶτα ἐπιλελάθαμες, τὰ δὲ ὕστερα οὐ συνήκαμες.* Cf. Plut. Lacon. Cleom. n. VII et Diaph. I.

deinde saccum afferentes, quem farina indigere dicebant. Responsum: illud addere supervacuum fuisse (1). Placuit tamen adjuvare eos, itaque navibus Corinthiis exercitum Samum miserunt Lacedaemonii.

Notum horum est in dicendo brevitatis studium, ut vel in proverbium tritum abierit (2). Alia tamen causa videtur fuisse, cur non primo statim Samiis benigne sit responsum, nimirum infirmitas reipublicae, ob quam invitissimi bellum cum potentissimo rege suscipiebant. Haec eos et olim, ut monuit Manso V. Cl. (3), quo minus Ionibus Aeolibusque adversus Cyrum opem ferrent, inhibuit, et infelici hujus belli exitu manifesto apparet, si quidem victus aliarumque rerum inopia ab oppugnatione Sami desistere sunt coacti. Quanta autem illo tempore Lacedaemoniorum publice paupertas fuerit, mira ostendit ratio, qua exsules pecunia sublevarunt. Nam placuit, ut omnes cum servis atque jumentis uno die cibo abstinerent atque illud pretium Samiis donaretur (4). Itaque rogare licet, quae tanta causa eos impulerit, ut Samiis tamen opem ferrent. Duas affert Herodotus, quae tamen

---

(1) Id significare τῷ θυλάκῳ περιειργάσθαι jam monuerat Wessel. ad Herod. III. 46. Perperam vertit Panofka p. 37 *panario haud opus fuisse*, Schneideri lexicon secutus. Imo, saccum inanem ostendisse satis erat.

(2) Cf. Plut. in Vit. Lyc. 19 sq.

(3) Sparta Lib. II. p. 299 sq.

(4) Aristot. Oecon. II. 9.

exigui videntur momenti. Samii, inquit, narrant, Lacedaemonios ita sibi gratiam referre voluisse, quod illos ante in bello cum Messeniis navibus adjuvissent; illi vero, sibi in animo fuisse, erepti a Samiis crateris et loricae poenas repetere, affirmant(1). Classem a Samiis adversus Messenios missam a nullo veterum commemorari, quin et illam Samiorum Spartanorumque tam remotis temporibus societatem vix credibilem videri ait Manso (2). Idem consilium ulciscendi, si a Samiis auxilio vocati iisque juncti sibi tamen insulam subjicere sperarent, certe nimis temerarium judicat. Profecto, si aut beneficii, aut injuriae causa haec a Lacedaemoniis suscepta sit expeditio, utriusvis *alta mente reposta* fuit memoria. Nam Panofka (3), nulla quidem auctoritate, sed divinatione quadam, ut videtur, classem Lacedaemoniis auxilio missam statuit bello Messeniaco secundo, quod scilicet Olymp. XXVIII a. 1, sive 668 a. C., itaque quadraginta ante annis finitum erat. Craterem autem et loricam triginta amplius annis ante a Samiis rapta fuisse, supra docuimus (4). Haud immerito igitur Plutarchus et Lacedaemoniorum civitatem, si propter illam injuriam bellum susceperit, et Corinthios, si ob servatos olim Corcyraeorum pueros navibus eos adjuverint, abjecti animi atque improbitatis ac-

(1) Cf. quae diximus Cap. primo p. 10 sq.

(2) l. c. in annot. (3) p. 26. (4) Cap. primo p. 12.

cusandos esse existimat (1). Hic simul monet, illos, si Samiis infesti essent, haudquaquam servitute oppressos in libertatem fuisse vindicaturos: quin potius Samios ipsos sepultura, qua Archiam, intra moenia occisum, publice affecerunt (2), satis ostendisse, se liberatores illos ac servatores suos habuisse. Hinc tamen nihil ejusmodi colligi posse, recte censuit Panofka (3). Et sane alia causa fuit, quae Lacedaemonios ut opem ferrent exsulibus impulit, quam idem attulit Plutarchus (4), scilicet odium in tyrannos, quorum in compluribus Graeciae civitatibus sustulere dominatum. Ita et Thucydides (5) plerosque et ultimos tyrannorum, praeter Siculos, a Lacedaemoniis expulsos esse refert, qui, cum ipsi perpetuo liberi mansissent atque eandem semper habuissent rempublicam, hoc ipso plus valentes, in aliis quoque civitatibus res constituerint. Atque in eo quidem, ut aliorum rempublicam ad suae

---

(1) De Herod. malign. c. 21. *οὔτε κακίας, οὔτ᾽ ἀβελτηρίας ὑπερβολὴν λελοίπασιν, εἰ ὡμολόγουν διὰ μνησικακίαν καὶ μικρολογίαν ἐπιτίθεσθαι δυστυχοῦσιν ἀνθρώποις καὶ κακῶς πράττουσι.* et c. 22. *ὁ δὲ τοῦτο Κορινθίοις προστριβόμενος τοὔνειδος, ἀποφαίνει τοῦ τυράννου μοχθηροτέραν τὴν πόλιν.*

(2) Cf. infra pag. 40. (3) p. 39.

(4) l. l. *πόλιν ἐν τοῖς τότε χρόνοις οὔτε φιλότιμον οὕτως, οὔτε μισοτύραννον ἴσμεν, ὡς τὴν Λακεδαιμονίων γενομένην, κ. τ. λ.* Cf. Manso Sparta Beil. 23. Vol. I. P. 2. p. 300 sqq.

(5) I. 18. *οἵ τε Ἀθηναίων τύραννοι καὶ οἱ ἐκ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος ἐπιπολὺ καὶ πρὶν τυραννευθείσης οἱ πλεῖστοι καὶ τελευταῖοι, πλὴν τῶν ἐν Σικελίᾳ, ὑπὸ Λακεδαιμονίων κατελύθησαν, κ. τ. λ.*

normam componerent, mira fuerunt et sedulitate et perseverantia, sive alios eo facilius ipsorum parituros imperio arbitrarentur, seu ita tantum suam consistere posse rempublicam judicarent; ut haud immerito cum Hercule, feris et tyrannis bella inferente, comparentur (1). Quod si promtiorem adversus Polycratem tulerunt opem, eo graviori in hunc odio flagrasse eos credibile est, quo arctior huic esset cum Cambyse necessitudo, a quo non insulis tantum, sed ipsi quoque Graeciae periculum imminebat (2): cujus tamen regno suam niti dominationem, ut postea Histiaeus Milesius (3), ita jam tum intellexisse videtur Polycrates.

Sed Lacedaemonii, ubi primum Samum advenerunt, oppidum, et operibus et loco egregie munitum, oppugnare aggrediuntur. Hi autem, quamquam arte militari ceteris jam eo tempore Graecis praestabant, haud fere eadem in expugnandis urbibus videntur fuisse peritia, vel potius minores habere copias solebant, quam ut cuncta moenia exercitu circumvenire possent (4). Atque hoc adeo in oppugnatione Sami videtur obtigisse, quam duabus

---

(1) Plut. in Vit. Lyc. 30. *ὥςπερ οἱ ποιηταὶ τὸν Ἡρακλέα μυθολογοῦσι — οὕτως ἡ πόλις κατέλυε τὰς ἀδίκους δυναστείας καὶ τυραννίδας ἐν τοῖς πολιτεύμασι.*

(2) Cf. P. van Limburg Brouwer. V. Cl. Hist. de la Civil. des Grecs Tom. I. c. 1. p. 32.

(3) Herod. IV. 137 et Nepos in Vit. Milt. 3.

(4) Huic maxime causae diuturnam oppugnationem plerorumque oppidorum bello Messeniaco tribuit Manso Lib. II. Tom. I. p. 285.

simul partibus, et a mari, et qua arx Astypalaea in jugo montis Ampeli erat aedificata, adorti sunt. Muro (1), quo oppidum a mari defendebatur, superato, in suburbia irruperunt, sed ab ipso Polycrate, cum magna manu suis auxilio veniente, repulsi sunt. Interea milites mercenarii et Samiorum ingens numerus, eruptione facta in illos, qui arcem oppugnabant, postquam impetum Lacedaemoniorum aliquamdiu sustinuerant, pulsi deinde in urbem refugerunt. Secuti illos Lacedaemonii, ingenti strage facta, moenibus arcentur: duo tamen ex his, Archias et Lycopes, inter trepidantes oppidum ingressi ac reditu ad suos prohibiti, fortiter pugnantes occubuerunt, quos Samii publicis sumtibus quam honorificentissime sepeliverunt (2). Ita primo impetu dejecti, ubi per quadraginta dies Samum circumsederant, neque tamen res eorum procedebant, obsidione destiterunt Lacedaemonii atque in Peloponnesum redierunt, sive inopia coacti, seu quod urbem capi posse desperarent. Erant, qui dicerent, tyrannum discessum

---

(1) *πύργον ὑπερέβησαν.* Perperam verterunt interpp., et hos secutus Panofka p. 38, *turrem transcenderunt:* quod plane ridiculum. *Πύργος* ipsa moenia turribus munita significat.

(2) *διότι ταφῆναι δημοσίῃ ὑπὸ Σαμίων εὖ.* Vocula illa *εὖ*, quam Baehr. ad Herod. III. 55 delendam censet, quamquam eam tuentur Schaefer. ad Dion. Hal. de comp. Verb. p. 113 et Wesseling. plerorumque M. SS. secutus auctoritatem, omnino non supervacanea videtur. *Δημοσίῃ* quidem, i. e. publicis sumtibus, quaevis hostium sepelienda erant cadavera, neque tamen *εὖ*, quod honestam sepulturam indicat.

eorum pecunia emisse, quod equidem nequaquam incredibile puto. Etenim, et ejus tanti intererat ab hostibus liberari, ut, quod ajunt, vel pontem aureum iis sterneret, et ipsi Lacedaemonii causam exsulum statim deseruerunt, qui, quum deinceps in Creta urbem Cydoniam condidissent ibique quinquennio prospera fortuna usi essent, sexto post anno ab Aeginetis in servitutem sunt redacti (1). Illud vero haud ita facile credam, quod et Herodoto (2) inepta fabula, *ματαιότερος λόγος*, videtur, Lacedaemonios ita a Polycrate deceptos esse, ut illis magnam vim numorum ex plumbo inaurato numeraverit; quamquam, ut recte monuit Boeckhius (3), ipsa illa fabula, si potuit divulgari, documento est, quam exigua eo tempore in Graecia auri esset copia.

(1) Herod. III. 57—59. Si Eusebio in Chron. credendum, qui supererant ad Italiam navigarunt et urbem condiderunt Dicaearchiam, cui postea Puteolis nomen erat. Cf. Steph. Byz. v. *Ποτίολοι* v. *Δίκαια.*, Harpocr. v. *Δικαιόπολις*.

(2) III. 56.

(3) Athen. Staatshaush. I. p. 23 laud. Baehr. ad Herod.

CAPUT QUARTUM.

INTERITUS POLYCRATIS.

In exemplis vicissitudinis rerum humanarum, quae proferri solent, nullum fere est celebrius, quam Polycratis fortuna, qua cum in omni vita prospera usus esset, miserrima tamen ei morte occumbere fatale fuit (1), quam Herodoto auctore breviter enarrabimus (2).

Cambyse aegrotante, Oroetes (3), qui Sardibus a Cyro satrapes erat praefectus (4) et tum Magnesiae

(1) Hanc cum alii miserati sunt, tum praecipue Valer. Max. l. VI, c. 9. ext. 5. et Galen. in Suasor. Tom. II. c. 2. p. 2. E (ed. Venet. 1597). Cf. Cic. de Fin. V. 30, Lucian. in Charont. § 14, Strabo XIV. 1, Dio Chrysost. Or. XVII. p. 251, Philo ap. Euseb. Praep. Euang. VIII. 13, Max. Tyr. Diss. XXXV, Stesimbrotus Thasius ap. Fulgent. laud. ad Valer. l. l., Tzetzes Chil. VII. vs. 205.

(2) III. 120—125.

(3) Ap. Cic. de Fin. l. l. olim legebatur *Orontes*, quem errorem, a Victorio correctum, etiam in Maximo Tyrio et Dione tollendum monuit Davisius. Sed Hemsterh. ad Lucian. l. l. utramque scripturam retinendam censet. Cf. Wessel. et Baehr. ad Herod. III. 120.

(4) ὕπαρχος dicitur Herodoto, quo nomine Graecis et satrapas ipsos, et praefectos illis subditos, qui et οἰκονόμοι dicuntur, appellari monuit Heerenius, Ideen Tom. I. p. 492 ed. 1824. De Oroete prima

ad Maeandrum degebat, neque factis, nec verbis a Polycrate, quem ne viderat quidem, antea lacessitus, hujus occidendi cepit consilium eumque dolis aggressus est. De causis tam infesti odii, et quae afferuntur, et quas suspicari licet, postea videbimus. Sed ad hunc Lydum quemdam, nomine Myrsum, Gygis filium, misit cum mandatis hujusmodi: Accepisse se, magna illum agitare consilia, sed ad exsequenda ea opes deficere. Sibi ingentes esse divitias, quas si in tutum devehere seque servare velit, cui rex Cambyses mortem paret, partem se illi promittere, quae sufficiat, ut totius Graeciae potiatur imperio. Quod si ipsi diffidat, mitteret quem haberet fidelissimum, cui eas opes ostenderet. Grata haec accidit Polycrati legatio, cujus consilia inopia pecuniae multum impediebantur, itaque accepit conditionem et misit Maeandrium, Maeandrii f., Samium, qui ei a manu erat (1), ut rem inspiceret.

---

valet significatio, qui et σατράπης dicitur Diod. Sic. exc. de Virt. et Vit. T. II. XXI. p. 557, Luciano et Straboni l. l.

(1) γραμματιστής, qua voce Herodotus pro γραμματεύς utitur. Ceterum ordo scribarum apud veteres non honestissimum locum tenebat, quorum ea in re plane diversa a nostra erat ratio. (Cf. Boeckh. Athen. Staatshaush. I. p. 198.) Sed ut satrapae Persarum γραμματιστὰς βασιληΐους, (Cf. Herod. III. 128 et Heeren. Id. Tom. I. p. 496) ita Maeandrium in procuranda republica administrum habuit Polycrates, amicum et arcanorum participem, quem tanti faciebat, ut absens illi tutelam regni deferret. Itaque hic mortuo ei in dominatu successit, quod satis ostendit, principem illum in civitate virum fuisse: Nam quod a Sylosonte apud Darium δοῦλος ἡμέτερος vocatur (Cf. Herod. III. 140),

Quem ubi venturum audivit Oroetes, octo arcas lapidibus complet et summas operit auro (1), quibus visis Maeandrius rem Polycrati renuntiat. Hic, cura regni illi delata, ut cum Oroete data et accepta fide societatem confirmaret, ipse eo proficisci constituit, quamquam et vates, et amici, et filia ipsa, somnio perterrita, ne id faceret, monerent. Huic pater per quietem visus erat sublimis in aëre a Jove lavari et a Sole ungi (2); itaque summis eum precibus, ne dubiae se fidei hospitis committeret, obsecravit: quin ubi jam in eo erat, ut navem conscenderet, male ominatis vocibus deterrere est conata. At hic longam illi, si salvus rediret, virginitatem est minatus; quod illa

---

hoc non ita intelligendum, quasi revera mancipium ejus esset, sed quod fratris subditus fuisset. Servo enim non aequo animo paruissent Samii, nec Lycaretus frater, quem Persae deinde Lemno praefecerunt (Cf. Herod. V. 27), se illi successurum sperasset (Cf. Herod. III. 143), neque oratione in eum invectus Telesarchus non malum et perniciosum civem, sed servum illum appellasset (Cf. Id. III. 142). Ceterum hunc Maeandrium prodidisse dominum Oroeti, qua auctoritate nescio, refert Lucianus. Qui autem potuit eum prodere, cum ipse Sami remanserit, aut quomodo voluit, cum tyrannidem, eo mortuo, invitissimus susceperit? Itaque J. G. Grim. V. doct. in annot. ad Lucian. Charont. § 14. p. 101 sq. (in Diss. lit. L. B. 1837) Lucianum non tam consulto id finxisse quam per errorem scripsisse existimat.

(1) Similis doli, quo delusos ab Hannibale Cretenses narrat Nepos in Vita c. 9, meminerunt Valck. et Baehr. ad h. l., qui fraudem Egestanorum ex Thuc. VI. 46 et Pythii argentarii ex Cicer. de Off. III. 14 minus recte huc referunt.

(2) Somnium illud ipsum vidisse Polycratem et quum *Persarum regis jussu* in crucem ageretur enarravisse, refert Philo Judaeus ap. Euseb. l. l. cit. Wessel.

ut ratum foret precata est: malle se enim diutius innuptam esse, quam tali patre orbari. Itaque hic, spretis ominibus et consiliis, in Asiam trajecit, amicis multis et servorum magno numero, in his Democede medico et vate quodam Eleo (1), comitantibus. Sed quum Magnesiam venisset, exitum habuit miserrimum atque ipso magnoque ejus animo indignum (2). Nam comprehensus ab Oroete ea nece, quae nefas dictu sit (3), occisus et in crucem sublatus est. Ille vero Samios, qui Polycratem erant secuti, dimisit incolumes, simul admonitos, libertatem eorum suum esse beneficium; peregrinos autem et servos e comitatu ejus retinuit. Atque ita acciderunt omnia, quae filia ejus in somnis viderat futura: nam sub dio, quoties plueret, lavabatur, et ungebatur a sole, qui humorem e corpore eliciebat. Hunc igitur finem habuit insignis Polycratis fortuna, quem Amasis ei fore praedixerat.

Haec fere Herodotus, qui genus supplicii, quo exstinctus est Polycrates, non prodidit memoriae. Ceteri quoque scriptores tantummodo referunt, in crucem eum actum esse: nam non alia videtur esse significatio verbi *κρεμασθῆναι*, quo Strabo (4) usus est, quamquam id de suspendio acceperit

---

(1) Herod. III. 132.

(2) *διεφθάρη κακῶς, οὔτε ἑωυτοῦ ἀξίως οὔτε τῶν ἑωυτοῦ φρονημάτων.* (3) *οὐκ ἀξίως ἀπηγήσιος.*

(4) l. l. XIV. 1.

Baehrius V. Cl. (1). Primum enim Herodotum in iis, quae de Polycrate refert, secutus esse videtur Strabo, quippe qui splendorem fortunae, et navales opes, et annulum receptum, et Amasis vaticinium iisdem fere verbis commemoret. Deinde, licet varia supplicii genera eaque crudelissima non defuerint apud veteres, haud scio, an unquam tali usi sint suspendio, quali hodie apud nos manifesti rerum capitalium plectuntur. Refertur quidem inter instrumenta carnificis βρόχος (2), laqueus, sed hoc videlicet damnatis gulam frangebant. Dubitari possit, an vox ἀνασκολοπίζεσθαι, quae apud Lucianum (3) invenitur, de crudelissimo illo supplicio intelligenda sit, quo palus praeacutus per corpus ita adigitur, ut generosioribus tamen parcatur intestinis: quod, ut hodie toto Oriente usitatissimum, ita a Persarum in excogitandis suppliciis immanitate minime abhorret. Fieri tum potuit, ut, quum in iis tormentis exspirasset, corpus deinde in cruce exponeretur. Fulgentius (4) quidem »sandapilam" commemorat, »qua, posteaquam de cruce depositus, »etiam deportatus est," ob majorem scilicet ignominiam, quod ea de plebe homines efferri solebant. Id igitur de corpore ex palo ablato et in crucem deportato accipiendum esset. Et sane ver-

(1) ad Herod. III. 125. (2) Pollux VIII. 7. Segm. 71.
(3) l. l. in Charont. § 14. (4) l. l. p. 42.

bum *deportare*, quod nunquam de funere ad sepulturam elato usurpatur, hoc ut satis verisimile videatur, facit. Pellem ei detractam aut caput amputatum suspicatur Wesselingius (1), Casaubonum secutus; sed cur veritus esset Herodotus supplicium commemorare, quod vulgo notum erat et cujus ipse aliis locis meminit? Pigebat scilicet novo et inaudito crudelitatis exemplo Graecorum aures conspergere, metuentem, ne illud in imitationem verterent. Ceterum unus auctor est Valerius (2), Polycratem »in excelsissimo Micalen»sis montis vertice cruci esse affixum;" quod si de supplicio accipias, minus credibile videatur: nam satis longe ab urbe Magnesia abest illud promontorium; si autem de corpore post supplicium in crucem acto, satis probabile est. Neque enim mirandum est, Oroetem ita in mortuum esse grassatum, ut in conspectu maxime patriae contumelia afficeretur ceterisque terrori esset.

Causam tantae perfidiae duplicem se accepisse refert Herodotus. Plerique Oroeten, quum in aula regis Persarum versaretur, a Mitrobate, provinciae Dascyliensi (3) praefecto, jurgio ajunt lacessitum, qui ei, quum de virtute disceptarent, exprobrasset, quod Samum insulam nondum Per-

(1) Ad Herod. III. 125, ubi vid. et Baehr.

(2) l. l. p. 42.

(3) Id est Mysiae s. Phrygiae ad Hellespontum, cujus satrapae Dascylii sedem habere solebant. Cf. Heerenius, Ideen Tom. I. p. 161 et 174.

sarum imperio adjecisset, quamquam ipsius praefecturae vicinam atque adeo invalidam, ut unus ex incolis eam quindecim armatorum auxilio occupasset et nunc dominatu oppressam teneret. Quod opprobrium adeo aegre tulisse Oroetem, ut non auctorem ejus ulcisci, sed Polycratem, propter quem illud audivisset, quovis modo perdere cuperet. Alii autem, et pauciores, narrant, praeconem, cujuscunque rei causa ab Oroete Samum missum et introductum ad Polycratem, invenisse tyrannum in lectulo recubantem, adstante Anacreonte poeta, sive is consulto, ut contemtum suum Oroetis ostenderet, seu forte adesset: hunc autem, mandatis expositis a praecone, ut erat facie ad murum versa, neque se convertisse, nec quidquam respondisse.

Satrapae Persarum quamvis ea saepe fuerint dominandi impotentia ac libidine, ut nihil in iis nimis atrox videri possit, neutra tamen ex his causis satis gravis est, ut ea sola Oroetes ad tantam perfidiam, inutilem praesertim, impelli potuerit. Quid enim? Si opprobrium illud diluere cuperet, ipsa Samos illi expugnanda erat. Hac autem contumelia, praeconi illata, qui potuit tantopere commoveri, nisi majorem ipse haberet offensionem? Quid? Polycratem, prudentissimum regem, ea censemus fuisse dementia, ut legatum satrapae potentissimi nullo responso dimitteret, nisi plane indigna essent quae ab ipso postulasset?

Quid autem potuit postulare, nisi fortasse ut, pecunia accepta, insula sibi cederet? Quod si cum contemtu ac silentio, prouti decebat, recusaverit Polycrates, hinc forte iratus coepit quaerere, ut ipso potiretur, postquam conviciis Mitrobatis jam olim incensus fuerat, ut vicinam insulam sub potestatem suam redigeret. Haud enim minori, quam Polycrates, flagrabat ambitione Oroetes. Sardibus, id est, Lydiae a Cyro praefectus, non solum Ioniam, quae provinciae illi accensebatur (1), sed et alteram satrapiam, Phrygiam, imperio adjecerat (2), pernicioso illo exemplo, quod exitio Persarum regno fuit (3). Deinde vero turbis, quae, Cambyse mortuo et occupato a Magis regno, ortae erant, ad confirmandam potentiam usus, ita se gessit, ut prorsus defecisse a Persarum videretur imperio. Namque et Mitrobaten filiumque ejus, viros nobilissimos, occidit aliaque hujus generis facinora admisit, et Persas a Medis oppressos non solum non adjuvit, sed etiam nuncium Darii (4), qui novi regis jussa, ipsi minus grata, perferebat, immissis percussoribus, clam sustulit. Ingentes copias habebat et mille satellitum Persarum praesidium, tantaeque opes ejus erant, ut Darius

(1) Cf. Arrian. I. 12 et Heeren. Ideen Tom. I. p. 156.

(2) Herod. III. 127.

(3) Cf. Heeren. Ideen Tom. I. p. 499.

(4) *ἀγγαρήϊον*. De his nunciis equitantibus Vid. Herod. VIII. 98 et Heeren. Ideen Tom. I. p. 497.

palam eum aggredi non ausus sit, sed per Bagaeum occidendum curaverit (1). Hujus an hominis consiliis parum offecisse credimus Polycratem, qui ejusdem Ioniae, cui ipse praeerat, potiundae spes magnas habebat? Nam hoc eum agitare consilium non latuisse Oroetem, ex ipsius mandatis apparet: quid enim aliud significat *ἐπιβουλεύειν πρήγμασι μεγάλοισι*, quod ait se comperisse (2)? Sed jam pridem eum sibi adversarium esse cognoverat, quum Lydorum quidam, ipsius imperium fugientes, magna cum pecunia ad Polycratem se receperant et ab hoc benigne fuerant excepti, quamquam eos postea, ut pecunia potiretur, fertur occidisse (3). Quid mirum igitur, si illum Asiae imminentem tollere cupiebat, et quem vi et bello non auderet, dolis ac fraude est aggressus, quo sublato, Sami opes brevi ruituras et se facile ejus potiturum speraret? Id certe libertas Samiis, qui Polycratem comitati erant, concessa videtur indicare, quos videlicet eo sibi beneficio obstringere se putabat. Eam spem tamen, si habuerit, multum fefellit eventus; nam Samii, quamquam, insula a Persis vastata, brevi tempore his obnoxii

---

(1) De interitu Oroetis, qui Cic. de Fin. I. l. *praetor Darei* et Val. Max. l. l. *Darii praefectus* dicitur, Vid. Herod. III. 126—128.

(2) Polycratem, quod bellum Persis inferre parabat, ab Oroete occisum ait auctor libri: Généalogies historiques Paris. 1736, Tom. I. p. 143, qui id anno 524 factum esse statuit.

(3) Diod. Sic. exc. de Virt. et Vit. Tom. II. XXI. p. 557.

fuerunt, nunquam tamen plane subditi, indigenis paruerunt tyrannis, donec pugna ad Mycalen commissa in libertatem sese vindicarunt.

Denique famam de Polycratis obitu plane diversam memoriae prodidit Clearchus apud Athenaeum (1), verbo nobis commemorandam. Hic eum mollitiem Lydorum imitatum dissoluto vivendi genere absumtum esse ait: quae tamen narratio neque apud alium quemquam invenitur, et eo minus fide digna videtur, quo magis Clearchum istum ineptum nugatorem fuisse constat, cujus merito *flosculos et acumen* irridet Schweighaeuserus (2).

---

(1) Deipnos. XII c. 10. p. 540. *Κλέαρχος δέ φησιν, ὡς Πολυκράτης, ὁ τῆς ἅβρας Σάμου τύραννος, διὰ τὴν περὶ τὸν βίον ἀκολασίαν ἀπώλετο, ζηλώσας τὰ Λυδῶν μαλακά*, quod Panofka p. 43 interpretatus est: tyrannum ob insolentiam et petulantiam periisse!

(2) Ad Athen. l. l.

CAPUT QUINTUM.

DE REIPUBLICAE ADMINISTRATIONE POLYCRATIS.

Omnis reipublicae duplex est procuratio. Unum genus est, quod pertinet ad civitatem regendam et tuendam: alterum, quod spectat publicas ejus cum aliis populis rationes. Polycratis autem in utroque genere summa fuerunt ars et consilium. Quod quo melius appareat, primum, qua ratione exteras Samiorum res gesserit, docebimus: deinde de prudentia ejus in administranda civitate dicemus.

Res autem paulo altius videtur esse repetenda, ut quo loco inter potentissima regna posita Samos fuerit et quanto inter illa temperamento Polycrati agendum esset, videamus. Croesus, Lydorum rex, cum ceteras Graecorum in Asia colonias, tum Ionum etiam sibi subjecerat civitates, sed callida Biantis oratione (1) deterritus insulis tamen pepercerat. Hae Ionum civitates (2), duodecim numero,

(1) Hanc referunt Herod. I. 27 et Polyaen. I. 26.

(2) Enumerantur Herod. I. 142.

quamquam cognatione et communi religione conjunctae, foedere tamen parum firmo vinctae fuisse videntur, unde crebro bella inter eas exstiterunt. Ceterum satis lene in eas Lydorum erat imperium. Itaque, Croeso a Cyro victo, iisdem legibus, quibus illi paruerant, submittere se victori voluerunt; quod quum ab eo non impetrassent praeter Miletum (1), omnes deinceps ab Harpago expugnatae sunt (2). Sed insulis, e quibus Chios et Samos Ionum erant, nullum, ut diximus (3), imminebat periculum. Omnibus autem in continenti civitatibus captis, hae quoque, timore perculsae, victori praestiterunt obsequium (4). Neque tamen huic subjectae fuerunt, quamquam tributum iis impositum fuisse verisimile est. Cyro enim regnante, Persae nullas res mari gesserunt, et Cambysi diserte tribuitur illa laus, quod et maris imperio sit potitus (5). Mox Cyro in Asia bellante, laxius Persarum coepit esse imperium, et Samos quidem omnino libera videtur fuisse.

In illud tempus autem incidit aetas Polycratis. Hic dominatum, ut in occupando eo a Lygdamide, Naxiorum principe, fuerat adjutus, ita foederibus cum ceteris tyrannis, quorum jam ante coluerat

(1) Herod. I. 141. (2) Ibid. 162—169.

(3) Vid. supra Cap. secundum p. 14.

(4) Herod. I. 169.

(5) *προςεκτῆσθαι Αἴγυπτόν τε καὶ τὴν θάλασσαν*, Herod. III. 34.

amicitiam, stabilivit. Nihil autem habuit antiquius, quam ut foedus, quod jam olim Samiis cum Amasi, Aegyptiorum rege, videtur fuisse (1), donis vicissim datis et acceptis confirmaret eumque jure hospitii ac familiaritate penitus sibi conciliaret. In his donis statuae duae ligneae ipsius Amasis commemorantur, quas in Iunonis templo post fores positas Sami viderat Herodotus (2). Non obscurum est, cur tantum illi regi tribuerit Polycrates, ut hunc maxime socium atque amicum sibi expeteret. Nimis propinquum erat Persarum periculum, quibus solus ille rex resistere posse videbatur. Hic, cujus auxilium Croesus quamquam sero imploraverat (3), haud minus prudentia, quam virtute bellica insignis, Cyprum insulam regno adjecerat, Persis infestissimus (4) Graecis favebat, tantisque erat opibus, ut toti Asiae non impar videretur, quam saepius Aegypti reges armorum terrore penitus concusserant. Sed neque Amasis Polycratis et Samiorum sprevit amicitiam, quorum utilem adversus Persas, quos imminere sibi sentiebat, opem fore sperabat, si quando Aegypto arma in-

---

(1) Samiorum mercatores jam olim Aegyptum adibant (Herod. II. 134) et Naucrati fanum Junonis habebant (Ibid. 178). Inter Iones, qui Psammetichum in subigenda Aegypto adjuverunt, Samios fuisse satis verisimile est. Cf. Herod. II. 152 sqq.

(2) II. 182. (3) Herod. I. 77.

(4) *Ὁ δὲ Ἄμασις τῇ δυνάμει τῶν Περσέων ἀχθόμενος καὶ ἀῤῥωδέων*, Herod. III. 1.

ferrent. Haec autem societas, quam commune periculum conciliaverat, Samiis eo magis videtur profuisse, quo omnem Aegyptum ipsorum mercaturae aperiret.

Hoc potissimum tempore plerasque res prospere a Polycrate gestas et bellum Milesiis illatum esse puto, de quo supra diximus (1). Hi enim Persis favebant, itaque eos cum ceteris Ionum invisos fuisse necesse est, tum maxime Polycrati, cujus illud mihi videtur fuisse consilium, ut cunctas Ionum civitates eodem dominationis vinculo conjungeret; idque adeo non abhorrebat ab eo, quod iis olim suasisse Thales dicitur, ut unam curiam communem et quidem in oppido Tejo, utpote in medio posito, constituerent (2). Ad id autem non minus opportune sita Samos videri poterat, quae praeterea et tutior erat et potentior. Hoc illud esse arbitror imperium Ioniae et insularum, quod agitasse dicitur Polycrates: hoc eum consilio complures insulas et multa in continenti oppida cepisse (3). Polycrates, ait Herodotus (4), primus est Graecorum, de quibus nos accepimus, qui consilium cepit maris potiundi, praeter Minoëm Gnossium et si quis alius ante hunc mari imperitaverit: aetatis autem, quae humana dici-

(1) Vid. Cap. Tertium p. 28.
(2) Herod. I. 170. (3) Id. III. 39.
(4) III. 122.

tur (1), primus (2) est Polycrates, cui magna spes fuit imperio Ioniae atque insularum potiendi. Nimis tamen magnificum hoc nonnullis et ridiculum visum est, Polycratem non maris tantum atque insularum, sed ipsius Ioniae affectasse dominatum et Persis se eum erepturum sperasse: qui videlicet secum reputabant, magnificentissimum illum titulum θαλασσοκρατούντων ab illis saepe usurpatum, qui exiguae parti maris Aegei aut parvis quibusdam insulis imperitabant. Itaque alter (3) hoc loco non Ioniam, sed mare, quo alluitur, respici putat, et vocem θαλάσσης ex superioribus repetendam esse censet. Alter (4) totam illam spem inter ambitiosa somnia, quibus tyranni animus lactaretur, rejecit. Nostra longe alia est sententia. Nam et verba Herodoti ἐλπίδας πολλὰς ἔχων satis indicant, habuisse eum, quod speraret,

---

(1) Aetatem humanam, γενεὴν ἀνθρωπηΐην, hic τῇ μυθικῇ opponi et tempus historicum significari jam monuerat Scaliger l. III. C. Isagog. p. 278, ut h. l. notavit Wesseling. Rem ipsam confirmant Thuc. I. 13 et Strab. XIV. 1. p. 945 B. jam allati, quibus addatur, quem laudat Baehr. ad h. l., Heynius Nov. Comm. Soc. Goett. Tom. I. p. 66—95, II. p. 40—71.

(2) Ita correxit Valck., quamquam in plerisque M. SS. legitur μοῦνος, quod non mutandum censeo. Profecto enim aliud est, mari imperare, aliud Ioniae insulisque, quod ille idem esse perhibet; et revera solus fuit Polycrates Herodoti memoria, qui spes tam audaces alere potuerit: denique ita opponuntur πρῶτος et μοῦνος, ut Polycrates primus e Graecis fuerit, qui mari, solus hominum memoria, qui Ioniae imperandi spem habuerit.

(3) De Pauw cit. Wessel. ad h. l.

(4) Wesseling. l. l.

et quae viginti annis post mortem ejus acciderunt non vana eum sperasse ostendunt. Graeci enim, qui Asiam incolebant, quum auctore Aristagora a Persis defecissent, per sex annos (502—496 a. C.) tractum est illud bellum, cujus fortasse longe alius fuisset eventus, si vires eorum non jam ante dolis atque auro Persarum fractae fuissent (1). Quod si tot annorum dominatio studium libertatis in Graecis exstinguere non potuerat, quanto magis Polycrati, recente odio, quo in barbaros flagrabant, sperare licuit, fore uti Ioniam Persis eriperet? Quanto hoc ipsi, potentissimo principi, facilius fuisset, Cyro aut Cambyse longinqua bella gerentibus, quam Histiaeo atque Aristagorae, egregie confirmato a Dario Persarum imperio?

Cambyses quum patri successisset, Persarum dominatio, quae sub extremum Cyri regnum fuerat remissior, magis ingruebat ac paulatim coepit esse asperior. Itaque et ceteri Graeci, quos servos sibi a patre relictos censebat (2), Cambysi, Aegyptum invadere paranti, copias et naves praebere sunt coacti, et Polycrates classem quadraginta navium auxilio ei misit (3). Equidem subsidium

(1) Heeren. Handb. p. 103.

(2) Herod. II. 1. *Καμβύσης Ἴωνας μὲν καὶ Αἰολέας ὡς δούλους πατρωΐους ἐόντας ἐνόμιζε.* Navis Mitylenaeorum in classe Cambysis memoratur Herod. III. 13.

(3) Herod. III. 44. Cf. supra Cap. Tert. p. 34.

illud ultro regi a Polycrate oblatum esse, ut ita ablegaret adversarios, non facile crediderim, sed potius imperatum existimem. Nam et numerus navium major videtur, quam ut tantummodo seditiosis civibus deportandis inservirent, neque habebat Cambyses, quod Samo magis quam aliis civitatibus parceret, cum praesertim classe Phoenicum et Cypriorum tanta opum ejus facta esset accessio (1). Quod autem ferunt eum a Cambyse petivisse, ne bello confecto illos remitteret, fictum hoc ab exsulibus existimo, quo majorem sibi misericordiam et indignationem tyranno excitarent. Qui enim id scire poterant, quod nec Polycrates, nec Cambyses palam dixissent? Quum vero hic jam et mari plus valebat, fieri non potuit, quin subjecta magis atque obnoxia ei Samos esset; cujus dominatus si Polycrati permissus fuit, neque hoc videtur admirandum, quum adeo ex more regum Persarum fuisse sciamus, ut populorum, quos bello devicissent, penes indigenas reges imperium relinquerent, eo fere contenti, ut hi vectigales sibi ac dicto audientes essent (2). Itaque sic existimandum arbitror, Polycratem, ingravescente in dies Persarum imperio, cessisse temporibus, quibus diutius resistere non posset.

Sub illud tempus dissolutum foedus cum Aegyptiis et hospitium ei ab Amasi renuntiatum esse

(1) Herod. III. 20. (2) Cf. Herod. I. 15.

necesse est, cujus quidem rei causam fuisse refert Herodotus (1), quod hic, nimiam Polycratis felicitatem intuens subitamque rerum ejus commutationem auguratus, casu hominis amici et hospitis gravius ipse commoveri noluisset. Nota fabula est. Amasin, accepta incredibili hospitis prosperitate, monuisse eum, ut numinis invidiam (2) voluntaria jactura ejus, quod haberet pretiosissimum, leniret. Obsecutum illi Polycratem annulum (3) ingentis pretii in mare abjecisse. Hunc autem paucis post diebus in praecordiis piscis, a piscatore ei donati, repertum. Unde quum Amasis intellexisset, futura averti non posse, ideo dissolvisse hospitium. Literas, quas ab Amasi ad

(1) III. 40—43.

(2) De numinis invidia et Herodoti de ea sententia cf., praeter Interpp. ad I. 32 et h. l. et Wyttenb. ad Sel. princ. hist. p. 347, A. de Jongh, V. Amic., de Herod. philosophia Cap. I. § 4. p. 32 sqq. et E. Waardenburg. libro laud. p. 222 et 250 sqq. Vid. etiam de Nemesi quae habet Winckelm. Hist. de l'art. Lib. VI. c. 8. § 22. p. 209.

(3) Signatorium fuisse ait Herodotus, smaragdum auro inclusum, Theodori, Teleclis f., Samii, opus; Plinio H. N. XXXVII. 2. sardonyx dicitur. Lyram ei insculptam fuisse refert Clemens Alex. Paedag l. III. c. 11. p. 289; si Plinio (ibid. c. 4) credas, *gemma illibata intactaque* erat: quam sententiam tuentur Lessing. ad Winckelm. Hist. de l'art Lib. I. c. 2. p. 41 et in Antiqu. Briefe Opp. Tom. XI. p. 153—161 et C. O. Muller. Handb. der Archaeol. p. 72, refutati a Baehrio ad Herod. III. 41. — Commemoratur autem hic annulus a plerisque veterum, qui de rebus Polycratis egerunt, quos vide. Ceterum et de annulo, et de Theodoro, cujus nominis duo fuisse videntur, et de aetate ejus artificis multa disputata sunt a viris doctis, quos recensuit Baehr. ad Herod l. l. Cf. et C. G. Siebelis ad Pausan. l. VIII. c. 14. 5. p. 629. — Rem egregio carmine celebravit Schillerus, poeta Germanus.

Polycratem missas ait Herodotus, ita scriptas esse judicat Valckenaerius, ac si Solonem in aula Croesi verba facientem audiisset, itaque fictas eas esse putat (1). Cui summi viri sententiae eo facilius assentior, quod neque e persona Aegyptii regis scriptae esse videntur, quem festivum et hilarem fuisse refert Herodotus (2), neque iis obtemperavisset Polycrates, quem minime superstitiosum fuisse constat (3). Quae cum ita sint, facile profecto ad intelligendum videtur, annulum istum abjectum et recuperatum mutatae regis voluntatis non causam fuisse. Alia affertur a Diodoro (4), haud sane magis probabilis. Nam hic Amasin ideo hospitium cum Polycrate solvisse ait, quod in cives et hospites nimium saeviret; ac primo quidem legatos misisse, qui ad moderationem eum revocarent: deinde, cum nihilo minus eadem via grassaretur, missis literis amicitiam ei renuntiasse, quod tam asperae tyrannidis malum exitum fore praevideret. Quid enim? Ut regem de nimia severitate hospitem admonuisse credamus, idcircone etiam spretam ejus societatem putamus, quum Persarum bellum in dies magis immineret? Ecquam aliam rupti foederis causam quaerimus, praeter missum Cambysi a Polycrate auxilium? quod sive ultro oblatum, seu necessario concessum esset,

(1) Eaedem literae sunt ap. Stobaeum Serm. CXI. p. 583, cit Wessel.
(2) Herod. II. 173: καὶ ἦν μάταιός τε καὶ παιγνιήμων.
(3) Cf. id. III. 124 sq. (4) I. 95.

omnem tamen exinde inter eos amicitiam tolli necesse erat. Et sane prius opportuna mors Amasin, ne regni videret exitium, praeverterat, quam illud ejus de Polycrate vaticinium comprobavit eventus.

Hic tamen extremo tempore, male rem gerente Cambyse atque adeo dementia correpto, eadem illa movisse videtur, ac parum abfuisse, quin Ioniae, a Persis liberae, potiretur. Sed de his superiori Capite jam diximus. Illud quidem ex Herodoto intelligitur, Polycratem cum ab Oroete arcesseretur, remoto jam omni Persarum metu, liberum Sami habuisse dominatum.

Hunc autem quibus artibus obtinuerit, qualemve in regenda civitate se praebuerit, jam erit dicendum. Qua in re multus scriptorum est sermo, de crudelitate ejus, de saevitia, de perfidia clamitantium: quo magis mirandum, tam magnificis tamen eum laudibus ab Herodoto esse celebratum (1), qui vehemens tyrannorum odium ubivis profitetur (2). In omni hac quaestione diligenter attendere oportet, quam invisum olim veteribus tyranni nomen esset, ut vel hoc solum ad excitandum letale odium in optimos principes sufficeret (3). Itaque non temere quibuslibet creden-

(1) Cf. quae diximus Cap. Secundo p. 20 et Sexto in fine.

(2) Hoc pluribus docuerunt E. Waardenb. lib. laud. p. 185 sq. et de Jongh. lib. laud. Cap. III. § 4. p. 131.

(3) Cf. van Limb. Brouwer. V. Cl. Hist. de la Civil. des Grecs Part. II. Tom. I. Ch. 6. p. 233—248, praecipue vero p. 244 sqq. et laudati ab eo Polyb. II. 59 et Cicer. Off. III. 6.

dum est auctoribus, si qua de tyrannis referunt, quae nimis atrocia, immoderata, incredibilia videantur. His enim, immodico libertatis studio abreptis, nihil non credibile de tyranno videtur, quod ferorum animalium pessimum vocant (1). Et sane perpetuae seditiones in tyrannos, insidiae illis structae, pericula, quae vitae illorum imminebant, saepe faciebant, ut qui leni ac clementi tyrannidis usus esset initio, deinde, ut se ipse tueretur, saevus ac crudelis cogeretur fieri. Hoc si tenemus, Polycratem, quamquam longe abest, ut eum optimi regis exemplar propositum velimus, inutilis tamen saevitiae absolvemus, qui dominatum in suos quietus ad mortem tenuit, et quo mortuo ne voluerunt quidem liberi esse (2).

Sed hic ut populares suos dicto sibi audientes haberet, iisdem fere artibus, quibus ceteri tyranni, usus est, (3) quas tamen adeo callebat, uti

---

(1) *τῶν ἀγρίων θηρίων κάκιστον*, Plut. Sept. Sap. Conv. 2.

(2) Ita recte explicavit E. Waardenb. lib. laud. p. 185 verba Herod. III. 143 *οὐ γὰρ δή, ὡς οἴκασι, ἐβουλέατο εἶναι ἐλεύθεροι.* Senserat enim Maeandrius, si ipse abdicasset, alium in ejus locum tyrannum suffectum iri.

(3) Arist. de Rep. V. c. 11. Tom. II. p. 407 *καὶ τὸ διαβάλλειν ἀλλήλοις καὶ συγκρούειν, καὶ φίλους φίλοις, καὶ τὸν δῆμον τοῖς γνωρίμοις, καὶ τοὺς πλουσίους ἑαυτοῖς, καὶ τὸ πένητας ποιεῖν τοὺς ἀρχομένους, τυραννικὸν, ὅπως μήτε φυλακὴ τρέφηται, καὶ πρὸς τῷ καθ' ἡμέραν ὄντες, ἄσχολοι ὦσιν ἐπιβουλεύειν. Παράδειγμα δὲ τούτου αἵ τε πυραμίδες αἱ περὶ Ἄιγυπτον, καὶ τὰ ἀναθήματα τῶν Κυψελιδῶν, καὶ τοῦ Ὀλυμπίου ἡ οἰκοδόμησις ὑπὸ τῶν Πεισιστρατιδῶν, καὶ τῶν περὶ Σάμον ἔργα Πολυκρά-*

aliis exemplo esse posset et regnum ejus haud immerito scholam tyrannorum vocaverit Barthelemius (1). Etenim, cum contemplor animo, reperio duo, quibus maxime moventur homines, metum ac beneficia: quibus ille tanquam instrumentis imperii usus est. Primum quidem rei militaris, ut diximus (2), in primis curam habebat, non solum ut ipse tutus esset ab insidiis, sed simul ut res fortiter gerendo atque bella ex bellis serendo militaris laudis gloria popularium suorum quasi praestringeret oculos et in hos eo facilius dominaretur, qui ceteris imperarent. Ita et Astypalaeam arcem communierat militibusque firmaverat, ipsi adversus cives, si quando seditionem molirentur, civibus adversus hostes praesidium. Nam ut patriam consilio ac fortitudine ab hostibus defendebat, ita in tuendo dominatu haud mitis ac lenis erat, sed in eos, quos obstare sibi credebat, asperius saeviebat. Fratrum quidem alterum occidit, alterum ejecit, neminem, ut videtur, aequo animo parem ferens. Quoscunque sibi infestos aut novarum rerum cupidos suspicabatur, hos bellis periculisque objectabat: cujus rei missi ad Cambysem Samii sunt testimonio (3). Omnes autem vi ac terrore ita tenuit oppressos, ut ne spem quidem

τεια. Πάντα γὰρ ταῦτα δύναται ταὐτὸν, ἀσχολίαν, καὶ πενίαν τῶν ἀρχομένων.

(1) Voyag. d'Anach. c. 74. p. 307 (ed. Ster).

(2) Cap. Tertio p. 25 sq. (3) Herod. III. 44.

recuperandae libertatis iis relinqueret. Sic bello, quod cum exsulibus gessit, civium ut obsides fidei haberet, uxores ac liberos in navalibus habuit coactos, ut, si quid illi seditionis molirentur, una cum navalibus ipsis combureret (1). Ex his igitur satis apparet, verum esse, quod ait Diodorus (2), nimis saepe eum et in cives et in hospites saeviisse, qui, eodem auctore, et Lydos illos exsules occiderit (3). Sed ut severum vindicem omnium, quae ad evertendum ipsius dominatum spectabant, ita penitus intentum patriae saluti se praebuit, de qua tanta ejus fuere merita, ut his usurpatam a se dominationem tantum non compensaret.

Omnes omnino reipublicae partes liberali cura complexus est. Praecipuam vero curam militum habebat, quos continuis locupletavit expeditionibus ac beneficiis penitus sibi devincire studebat. Operae pretium est referre, quod memoriae prodidit Plutarchus (4), quo modo cognatis eorum, qui in proelio cecidissent, prospexerit: quod ejus consilium a recentioris tyranni vix abhorret, quem ferunt animo agitasse, ut filias locupletium meritissimis praefectorum suorum uxores daret. Polycrates,

---

(1) Herod. III. 45. (2) I. 95.

(3) Vid. Cap. Quart. p. 50.

(4) Proverb. quibus Alexandrini usi sunt LVIII. *Πολυκράτης ὁ Σάμιος τῶν ἐν τῷ πολέμῳ ἀποθανόντων τὰς μητέρας συναγαγὼν δέδωκε τοῖς πλουσίοις τῶν πολιτῶν τρέφειν, πρὸς ἕκαστον λέγων, ὅτι Μητέρα σοι ταύτην δίδωμι.*

ait, matres eorum, qui in bello occiderant, cum collegisset, locupletissimis civium dedit alendas, singulis dicens: hanc tibi do matrem; unde ortum est proverbium: Πολυκράτης μητέρα νέμει.

Neque minus rei nauticae intentus erat, ex qua ipsius imperium, et Sami prosperitas atque salus adeo pendebant (1). De inventa ab illo Samia nave diximus: navalia et molem portui objectam memorat Herodotus (2); quae utrum Polycratem habuerint auctorem, an jam olim exstructa fuerint, dijudicari nequit. Hic enim, ut plebis otium minueret, ingentia Sami opera aedificasse dicitur (3), quorum magnificentia simul et utilitate vulgi se captare animos, ut dominationem aequiore animo ferrent, recte judicabat. Haec num eadem fuerint, quae Herodoto (4) *tria maxima universae Graeciae* dicuntur, scilicet moles illa, quam diximus, via et aquaeductus per montem effossus, tertium, Iunonis templum, omnium, quae noverat, maximum (5), difficile dictu est. Panof-

(1) De conditione rei nauticae apud Graecos ante bella Persica et de opibus, quae insulis subigendis et tributis ex iis exigendis colligere solebant principes, Vid. Thuc. I. 14, 15.

(2) III. 45 et 60.

(3) Aristot. de Rep. V. 11. (4) III. 60.

(5) Quantum illud fuerit, vel ex eo judicare licet, quod de statua aenea Junonis Samiae prodidit Niceta Choniata ap. Fabric. Bibl. Gr. Tom. VI. c. 5. p. 406, quae, Constantinopoli a Balduino capta, seculo ineunte XIII, fusa est: cujus caput tantae erat magnitudinis, ut quatuor plaustra compleret.

ka (1) quidem negat; et templum certe videtur fuisse antiquissimum, sive architectus ejus Rhoecus, Philei f., ut ille statuit (2), post vigesimam Olympiadem floruerit, sive hujus aetatem cum Thierschio ad Olympiadum initium removeas. Verisimillima tamen Baehrii (3) est sententia, illud Polycratis demum aetate, florentibus maxime rebus Samiorum, absolutum esse. Sed et alia Sami fuerunt opera, haud dubio ad illa referenda, quibus eum patriam ornasse scribit Aristoteles. Praeter fossam illam a Lesbiis captivis circum muros ductam, regia ejus memoratur Suetonio (4), quam Cajus Caesar restituere destinaverat. Huc pertinent Σαμίων ἄνθη et Σαμιακὴ λαύρα, commemorata a Plutarcho (5) et a Clearcho apud Athenaeum (6):

---

(1) p. 35.

(2) p. 51 et, quem laudat, Thiersch. Epoch. d. bild. Kunst. p. 181 sqq. ed. 2.

(3) Ad Herod. III. 60. (4) In Calig. c. 21.

(5) Prov. quibus Alex. usi sunt LXI. ἡ Σαμιακὴ λαύρα στενωπὴ ἦν παρὰ Σαμίοις, ἐν ᾗ τὰ πέμματα ἐπιπράσκετο. τὰ δὲ Σαμίων ἄνθη τόποι ἐν ᾗ (leg. οἷς) συνῄεσαν αἱ γυναῖκες τοῖς ἀνδράσι συνευωχησόμενοι. διὰ ταύτην τὴν τρυφὴν οἱ Σάμιοι τοῖς Πέρσαις ἐδουλώθησαν.

(6) Deipnos. XII. c. 10. p. 450. Πολυκράτης — τῷ μὲν Σάρδεων Ἀγκῶνι γλυκεῖ προσαγορευομένῳ τὴν παρὰ τοῖς Σαμίοις Λαύραν ἀντικατεσκεύασεν ἐν τῇ πόλει, καὶ τῶν Λυδῶν ἄνθεσι πάντα ἔπλησε τὰ διαγγελθέντα Σαμίων ἄνθεα. τούτων δὲ ἡ μὲν Σαμίων λαύρα στενή τις ἦν γυναικῶν δημιουργῶν πλήθουσα καὶ τῶν πρὸς ἀπόλαυσιν καὶ ἀκρασίαν πάντων βρωμάτων, ὧν ὄντως ἐνέπλησε τὴν Ἑλλάδα. τὰ δὲ Σαμίων ἄνθη, γυναικῶν καὶ ἀνδρῶν κάλλη διάφορα, ἔτι δὲ τῆς συμπάσης πόλεως ἐν

de quibus pauca dicenda. Hic, cujus jam ante (1) maledicentiam reprehendimus, more suo nugatur et auctor est, Polycratem, ut Lydorum mollitiem, ac praecipue locum quemdam Sardibus omni voluptatum apparatu instructum, qui idcirco Ἀγκὼν γλυκύς dicebatur, Sami aemularetur, vicum, cui Σαμιακὴ λαύρα nomen erat, iisdem illecebris, scortis et popinis replevisse, unde corruptela morum et luxuries deinceps per totam Graeciam manaverit. At Plutarchus nec Polycratem nominat, et, quae ille confundere videtur, vicum, in quo placentae illae Samiae, quas alio quoque loco (2) celebrat, vendebantur, a famosis illis *Floribus Samiorum* distinguit, qui videlicet nihil aliud fuisse videntur, quam lupanaria, quibus urbem tanta mercatura et navigatione florentem vix carere posse censendum est. Quae si a Polycrate primum illic constituta sint, hoc, credo, ne severissimus quidem praefectus morum reprehendet, at quod ille deperditae luxuriae, providae potius magistratus curae tribuet. Samiorum quidem jam olim dissoluti

---

ἑορταῖς τε καὶ μέθαις. Vid. Schweigh. ad h. l., quem locus ille Plutarchi fugisse videtur, quo Toupii conjectura in curis noviss. in Suidam p. 248 egregie firmatur, qui pro *στενή τις* legendum conjicit *στενωπή τις.* Schweigh., quamquam nihil mutandum ratus, recte improbaverat conjecturam Corayi in notis M. SS. *στέγη τις* (pro lupanari), monens de *integro vico* agi. Cf. Erasm. Adag. p. 164, qui Athenaeum expressit, et Suid. et Hesych. in v.

(1) Cap. Quarto p. 51.

(2) De Sanit. tuenda c. 6. p. 124. Adde Poll. Onom. VI. 11.

mores ac praesertim famosae mulieres fuerunt: quod ex iis apparet, quae de Rhodopi prodidit Herodotus (1), quam ad quaestum faciendum in Aegyptum venisse ait (2), et e loco Plutarchi (3), quo Dexicreon mulieres Samias, quae luxurie et petulantia multa nefaria admiserant, dicitur expiasse. Vicos autem popinis et tabernis, in quibus varia deliciarum genera prostabant, frequentatos in aliis quoque urbibus maritimis fuisse probabile est, et Alexandriae quidem, teste ipso Athenaeo (4), eodem nomine erat *Λαύρα εὐδαιμόνων*, ubi omnia, quae luxus postulabat, vendebantur. Neque igitur mirum, si et Sami in eo vico, in quo hospites plurimum degebant, lupanaria fuerint.

Quae cum ita sint, hac in re quidem injuria Polycrates culpatur. Quid, quod ne ea quidem, quae providentiam et curam ejus maxime testantur, carere reprehensione passi sunt? Quod enim bono principi egregiae laudi dari solet, ut agriculturae simul et mercaturae suorum prospiciat, id diligentissime fecisse legimus Polycratem, qui quod in eo genere ubivis optimum esset, undique conquisiverit et Samum transportaverit. Id autem

(1) II. 134 sqq.

(2) Ib. 135. *ἀπικομένη δὲ κατ' ἐργασίην.*

(3) Quaest. Gr. LIV. *τὰς γυναῖκας αὐτῶν ὑπὸ τρυφῆς καὶ ὕβρεως ἀκόλαστα ποιούσας.*

(4) l. c. *οἶδα δὲ κἀγὼ παρὰ τοῖς ἐμοῖς Ἀλεξανδρεῦσι λαύραν τινὰ καλουμένην μέχρι καὶ νῦν εὐδαιμόνων, ἐν ᾗ πάντα τὰ πρὸς τρυφὴν ἐπωλεῖτο.*

isti non laudant, at luxurie, ὑπὸ τρυφῆς, factum ajunt (1). Sed omnino plerique veterum videntur ignorasse eam reipublicae administrandae partem, quae valet ad augendam civitatis prosperitatem non praeda et rapinis, sed industria civium et populorum inter se commerciis. Hoc certe consilio Polycrates, ut animalium genera emendaret, canes ex Epiro et Laconia, capras e Scyro et Naxo, sues e Sicilia, oves autem Milesias et Atticas Samum transtulit; quo factum est, ut lana Samia non minus quam Milesia nobilitaretur et stragula ex ea facta in primis expeterentur (2). Itaque e multis illum civitatibus Samum ornasse ait Alexis, ipse Samius, cujus de patriae tyranno aequius est judicium (3).

Sed hic omnia, quae ad humanitatem pertinent, liberali favore prosecutus est: in quo opibus, quas, ut diximus, ingentes habebat, ita usus est, ut et artifices ingenti mercede arcesseret (4), et viros in quocunque literarum aut doctrinae genere praestantes secum haberet. Num inter illos artifices, qui Polycratis aetate Sami vixerunt, etiam Theodorus, Teleclis f., fuerit, quem annulum ejus sculpsisse

(1) Clitus ap. Athen. l. c.

(2) Cf. Theocr. Idyll. XV (non XXV) laud. Schweigh. ad Athen. l. l. Vellerum mollitia et subtilitate non solum oves in Asia, sed et capras praestare vulgo notum est, itaque jam antiquissimis temporibus pretiosissimae ex iis vestes texi solebant. Cf. Heeren. Ideeu Tom. I. p. 163.

(3) ap. Athen. l. l.

(4) Alexis ap. Athen. l. l.

diximus et cujus multa celebrantur artificia (1), disputatum est. Mihi quidem non fit probabile et antiquiori illum aetate vixisse puto (2). Sed quamquam nomina artificum ignoramus, Samum eo tempore artibus floruisse constat. Atque haud minori cura literis prospiciebat Polycrates, quorum studium prodidit cum bibliotheca, quam collegisse eum legimus (3), tum favore, quo Anacreontem et Democedem complexus est. Horum utriusque intima utebatur familiaritate penitusque illos liberalitate sibi devinxerat (4). E quibus Anacreontem, cujus mirifice carminibus delectabatur (5), quinque talentis ab eo donatum legimus (6). Quid mirum igitur, quod tam munificum fautorem laudibus eximie celebraverit, hujusque memoriae, ut ait Strabo (7), omnis ejus plena sit poësis? Democedem quidem, medicum Crotoniatam celeberrimum, mercede duorum

---

(1) Plinio H. N. VII. 57 normam, libellam, tornum, clavem invenisse dicitur. Idem fecerat craterem, quem Croesus Apollini Delphico dicavit. Herod. I. 51.

(2) Cf. VV. dd. laud. Cap. Quint. p. 59 in annot. Non magis enim necesse est, ut opifex ejus annuli aequalis fuerit Polycrati, quam statuae aeneae antiquissimae, cujus basi inscriptus est titulus: *ΠΟΛΥΚΡΑΤΕΣ ΑΝΕΘΕΚΕ*, quam Venetiis in Museo Nani servari ait Winckelm. Hist. de l'art. Lib. I. c. 1. § 12. p. 13.

(3) Athen. Deipnos. I. 4. p. 3.

(4) Herod. III. 121, 125, 131.

(5) Aelian. V. H. IX. 4. Cf. Id. XII. 25 et Pausan. I. 2. Asperum tyranni ingenium carminibus flexisse dicitur Max. Tyr. Diss. XXI. p. 218. *Πολυκράτην ἡμέρωσε, κεράσας τῇ τυραννίδι ἔρωτα Σμερδίου* cet.

(6) Stob. XLI. p. 508 et 511. (7) XIV. 1.

talentorum impulerat, ut Athenienses, qui centum minis eum conduxerant, relinqueret ipsique operam collocaret: qui deinde inter comites Polycratis ab Oroete retentus, quum in aulam Darii perductus regis pedem et mammam Atossae uxoris sanasset, multumque apud eos gratia valeret, causa belli cum Graecis fuisse dicitur (1). Ibycum quoque, poëtam lyricum, Rhegio Samum migrasse et aliquot annos apud Polycratem degisse, Panofka affirmat (2): quae tamen ejus sententia, uno Suidae (3) loco et praeterea conjectura nitens, temporibus videtur adversari. Pythagoram Amasi literis ab eodem commendatum esse jam retulimus; sed et alios viros, sapientiae laude insignes, benigne ab eo exceptos esse, non est quod dubitemus. Id quidem de Anaximandro Milesio, philosopho celeberrimo, satis constat, quem sub Polycrate, Samiorum tyranno, maxime floruisse scripsit Apollodorus in Chronicis (4). Quamquam enim ratio

---

(1) Herod. III. 137 et passim. (2) p. 36 et 30.

(3) Suid. in v. Ἴβυκος, γένει Ῥηγῖνος ἐνθένδε εἰς Σάμον ἦλθεν, ὅτ' αὐτῆς ἦρχε Πολυκράτης ὁ τοῦ τυράννου πατήρ· χρόνος δὲ οὗτος ὁ ἐπὶ Κροίσου, ὀλυμπιὰς νδ'. Panofka mutat πατήρ in ποιητής et post Πολυκράτης distinguit, ut scilicet tyranni poëta quidam aulicus vel laureatus, quem dicunt, fuerit Ibycus. At neque tale apud veteres ministerium cognovimus, neque Croesi tempore et Olymp. LIV rerum potitus erat Polycrates. Itaque videtur Suidas Aeaci, quem et alii dominatum Sami tenuisse ferunt, filii nomen tribuisse. Ceterum commemoratur Euseb. Olymp. LX. a. 1 et Cyrill. adv. Julian. I. p. 13. Olymp. LIX.

(4) Ap. Diog. Laert. II. 2. Ἀπολλόδωρος ὁ Ἀθηναῖος, ὅς καί

annorum ejus cum aetate Polycratis plane non convenit, et scriptor ille ordinem temporum mirifice solet conturbare (1), majori tamen fide res ab eo relatae dignae videntur. Neque non satis probabile est, Pherecydem Syrum etiam Polycrate dominante Sami vixisse, quem Pythagorae magistrum in illa insula degisse legimus (2), et ibidem diem obiisse tradidit Heraclides Ponticus (3). Hujus utique auditoris Platonis, qui Ciceroni (4) *vir doctus in primis* dicitur, plus apud me valet auctoritas, quam Iamblichi ceterorumque (5), qui Deli eum mortuum et a Pythagora sepultum esse narrant, eo magis quod elogio Pherecydis, a Duri-

---

φησιν αὐτὸν ἐν τοῖς χρονικοῖς, τῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς πεντηκοστῆς ὀγδόης Ὀλυμπιάδος, ἐτῶν εἶναι ἑξήκοντα τεσσάρων· καὶ μετ᾽ ὀλίγον τελευτῆσαι, ἀκμάσαντά πη μάλιστα κατὰ Πολυκράτην τὸν Σάμου τύραννον.

(1) Veluti, ubi Anaximenem narrat Olymp. LXIII, s. a. 528, natum et circiter expugnationem Sardium mortuum esse, eundemque auditorem fuisse Anaximandri, quem scilicet Olymp. LVIII a. 2, s. 547, sexagesimum quartum aetatis annum egisse ac brevi post obiisse idem auctor est. Vid. Diog. Laert. II. 3 et Interpp. ad h. l., qui male tamen ita mortuum eum dicunt, priusquam natus esset; non enim de Sardibus a Cyro, sed ab Ionibus anno 500 expugnatis cogitandum est.

(2) Diog. Laert. I. 116. Idem Segm. 121 circa Olymp. LIX fuisse eum ait.

(3) laud. Menag. ad Diog. Laert. I. 119. p. 69. Vitam ejus scripsit idem Laert. V. 86—94, p. 312 sqq. — Ceterum eundem terrae motum et Pherecydem Samiis, et Lacedaemoniis Anaximandrum praedixisse verisimile est: de quo Vid. Cicer. de Div. I. 50 et Diog. Laert. I. 116.

(4) Tusc. disp. V. 3.

(5) Cf. Menag. ibid. Segm. 118. p. 67.

de Samio servato et a Laertio (1) allato, confirmatur.

Polycratis in procuranda civitate quantae fuerint ars et solertia, ex iis, quae diximus, nemo est, qui non intelligat. Quod si, ut verbis utar Valerii (2), »omnes conatus ejus placido excipie»bantur itinere: spes certum cupitae rei fructum »apprehendebant: vota nuncupabantur simul et »solvebantur: velle ac posse in aequo positum »erat," — quidni illud non fortunae tribuamus, sed prudentiae, qua tantas res tam brevi tempore perficere potuit?

(1) l. l. Segm. 119.
(2) Valer. Max. VI. 9. ext. 5.

CAPUT SEXTUM.

INDOLES ET MORES POLYCRATIS.

Indolem viri, de cujus vita tam pauca sunt, quae constare videantur, tanto praesertim temporis intervallo tamque diversis moribus, perspicere, haud sane facilis res est. Sed eadem ubique est natura humana, iisdemque semper animi motibus impellitur; nec fere quisquam omnium est, in quo magnis virtutibus vitia non admixta esse soleant. Quae cum ita sint, de Polycratis indole vel ex iis, quae de eo prodita sunt memoriae, judicare licebit, si nec nimia rerum ab eo gestarum admiratione tenebimur, nec maledico istorum sermone, quibus *nulla sancta societas nec fides regni est* (1), decipi nos patiemur.

Omnino hoc hominum proprium est, ut quaecunque in principibus viris praeclara cognoverint, ea fere imminuere ac detrectare conentur; si qua autem vitia in iis deprehenderint, in lucem proferre ea et in majus vero augere gestiant. Quid idem

(1) Ennius ap. Cicer. Off. I. 8.

Polycrati miramur accidisse? Perdita illum fuisse ajunt luxurie ac mollitie (1). At videmus facta. Quae num tanta ejus futura fuisse credimus, si voluptati unice deditus ad insaniam usque libidinibus indulsisset? Invitus quidem eam rem attingo, quae Graecorum moribus tanquam nota infamiae inusta est: sed Polycrates etiam ad obscoenos illos amores proclivior fuisse dicitur, in iisque recensendis mirifice sibi placuere scriptores, rivalem ejus Anacreontem memorantes, cujus utique plena sunt carmina nominibus Smerdiae, Cleobuli, Bathylli (2). Attamen tyrannum, quamquam tam insana libidine furentem, nunquam aliunde arcessivisse pueros aut mulieres tradunt (3). Saevum et crudelem ultra modum fuisse ferunt. Ab hoc tamen, praeter fratrem Pantagnotum et Lydos illos (4), neminem legimus occisum: quod, quamquam inhumanum et atrox, propter injustam dominatus cupiditatem aut etiam se tuendi causa censendus est fecisse. Quid, quod puero, quem amari ab Anacreonte

---

(1) Athen. Deipnos. XII. 10. p. 540.

(2) Aelian. V. H. IX. 4, Max. Tyr. Diss. VIII in fine, X ipso init., XXI, Phavorin. ap. Stob. p. 564, Horat. 14. Epod. 9 sqq., Apulej. Flor. II. p. 15, Simonid. aliorumque Epigr. in Anacr. Cf. Baylius in v., copiosior quam res postulabat, ut recte judicat Wessel. ad Herod. III. 121.

(3) Alexis ap. Athen. l. l. *ἐκ πάντων οὖν τούτων ἄξιον θαυμάζειν τὸν τύραννον, ὅτι οὐδαμόθεν ἀναγέγραπται γυναῖκας ἢ παῖδας μεταπεμψάμενος, καίτοι περὶ τὰς τῶν ἀῤῥένων ὁμιλίας ἐπτοημένος, ὡς καὶ ἀντερᾷν Ἀνακρέοντι τῷ ποιητῇ· ὅτε καὶ δι᾽ ὀργὴν ἀπέκειρε τὸν ἐρώμενον.*

(4) Diod. Sic. exc. de Virt. et Vit. XXI. Tom. II. p. 557.

senserat, capillos detondit, ea ultione contentus, num magnum saevitiae documentum putamus? Quid, quod invisos sibi cives non supplicio affecit, sed classe ablegavit, num tantae crudelitatis est, quanta fuisse eum perhibent? Quod si severior aliquando fuit, iis, qui vi oppressos imperio coërcent, nonnunquam sane est adhibenda saevitia (1). Neque tamen potentia sua ad impotentiam abusus est Polycrates. Eodem pertinent insatiabilis ejus pecuniae cupiditas, bona amicis, ut deinde redderet, erepta, denique ea, quae de perjura ejus fide memorantur, qui pueros tesseris, viros juribus jurandis deludere jusserit (2): quae omnia spectabant ad opes et dominandi facultatem.

Magna enim erat astutia. Hac, ubi primum lubido eum invasit dominatum occupandi, sive hunc olim habuerint majores, seu propria eo ambitione ferebatur, haud parum callide auram favoris popularis captabat. Id unum sollicitus, opibus non parcere; gratificari aliis, aliis largiri; ipse magnifico apparatu vitaeque elegantia oculos in se convertere: interea quietus tempus suum exspectabat (3). Eadem, postquam rerum est potitus, in publicis cum aliis populis rationibus ita usus

---

(1) Cicer. Off. II. 7.

(2) Plut. in Vit. Lysandri c. 8. *ἐκέλευε γὰρ (ὁ Λύσανδρος) τοὺς μὲν παῖδας ἀστραγάλοις, τοὺς δὲ ἄνδρας ὅρκοις ἐξαπατᾶν, ἀπομιμούμενος Πολυκράτη τὸν Σάμιον, οὐκ ὀρθῶς τύραννον στρατηγός.*

(3) Cf. Cap. Secund. p. 16.

est, ut praeciperet cogitatione futuros rerum eventus, temporibus prudenter inserviret, foederibus faciendis aut solvendis prosperitati suorum juxta ac suae potentiae consuleret. Nam haec duo non diversa videtur habuisse. Neque enim maleficus natura et injustus erat; imo ad eximias ingenii dotes magnae virtutes animi accesserant. Liberalis in amicos; acceptorum beneficiorum memor et gratus (1); ab arrogantia alienus, ut vel humillimis comis et facilis esset: cujus rei invitatus ab eo ad coenam piscator est exemplo (2); generosus et pius in hostes: quod honorifica Archiae sepultura declarat (3); in familiaritate mansuetus et festivus ac jocandi artifex: quod objurgata ab eo filia (4) et Anacreontis consuetudo indicant; contemtor superstitionis (5); non solum praesens animo, sed acer et fortis manu, qui cum quindecim armatis rempublicam expugnaverit (6) et Spartanis ipse obviam processerit (7). In civitate regenda providus, ad cuncta prorsus intentus; splendidus, artes et literas ingenua cura fovens; denique non minori audacia in consilio capiendo, quam in exsequendo eo prudentia ac constantia (8). Sed omnes illas virtutes una superabat ambitio, qua in-

---

(1) Cf. Cap. Quint. p. 64 sq.
(2) Herod. III. 42. (3) Id. III. 55.
(4) Id. III. 124. (5) Id. III. 125.
(6) Id. III. 120. (7) Id. III. 54.
(8) Cf. Cap. Quint.

citatus ad majora semper tendebat et quae ceteris nimis alta, incredibilia videbantur, ingenti appetebat animo. Ex hoc tanquam fonte cuncta ejus derivata sunt vitia, omnia praeclare facta manarunt. Sed omnino ut in omnibus factis et consiliis, ita in indole ejus illa eminet magnificentia, qua Polycratem haud immerito Siculis tyrannis, Geloni scilicet, servatori patriae, et Hieroni, optimarum artium patrono, comparavit Herodotus (1). Quod si vera sunt quae habet Cicero (2), eum, qui animi magnitudine maxime excellit, maxime velle principem omnium, vel potius solum esse; facillime autem ad res injustas impelli, ut quisque est altissimo animo et gloriae cupido: profecto aequius de Polycrate feremus judicium, cujus ex persona locutum putes Euripidem (3), quum Eteoclem inducit ita dicentem:

εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
κάλλιστον ἀδικεῖν· τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

---

(1) III. 125. *ὅτι γὰρ μὴ οἱ Συρηκουσίων γενόμενοι τύραννοι, οὐδὲ εἷς τῶν ἄλλων Ἑλληνικῶν τυράννων ἄξιός ἐστι Πολυκράτεϊ μεγαλοπρεπείην συμβληθῆναι.* Cf. Valck. ad h. l.

(2) Off. I. 19.

(3) In Phoen. v. 534 sq., quos ita expressit Cicero Off. III. 21.

Nam si violandum est jus, regnandi gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

THESES.

I.

Plerique Graecorum tyranni non tanta fuerunt saevitia, quanta vulgo creditum est.

II.

Artes et literae Graecorum ex Ionia et ceteris Asiaticis coloniis exstiterunt.

III.

Errant qui Socratem ab Areopagitis damnatum censent.

IV.

Gracchorum lex agraria erat injusta.

V.

Errat Varro (de l. L. IV. § 14 et V. § 7), qui Dictatorem ita nominatum putat, quod a Consule *dicebatur.*

VI.

Frisiorum ex Oriente origo non plane absurda videtur.

VII.

Francorum nomen non a *libertatis studio*, sed a *terrore* est derivandum.

VIII.

Lex Francorum, quae Salica dicitur, non de successione regni valebat.

IX.

Principium nostrarum civitatium in indole gentis Germanicae est positum.

X.

In ingeniis populorum plus valet gentis origo, quam habitandi locus.

XI.

Multa prius sunt discenda, quam intelligenda.

XII.

Studium veterum linguarum valet multum ad ingenii facultates exercendas.